81a

DE ORATIONE,

QUAE EST INTER DEMOSTHENICAS DECIMA SEPTIMA

ET INSCRIBITUR: *ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ΣΥΝΘΗΚΩΝ.*

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

GOTTINGENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Hans

~~IOANNE~~S WINDEL

WALDECCENSIS.

LIPSIAE,

TYPIS EXPRESSIT ALEXANDER EDELMANN.

MDCCCLXXXI.

PARENTIBUS MEIS.

VITA.

Natus sum Ioannes Windel die VIII. m. Augusti a. 1854 in urbe Waldeccensi, cui nomen est Pyrmont, ubi pater praefecturae judiciariae gubernator erat; primum patriae scholas frequentavi, deinde quindecim annos natus, gymnasium, quod in urbe Bielefeldensi floret, adii. Unde testimonio maturitatis instructus vere anni 1873 Tubingam me contuli, ut studiis philologicis me darem. Hic bis sex menses versatus, Gottingae studia perrexi et absolvi, ubi per quinquies sex menses scholis virorum illustrissimorum Sauppii, Ernesti de Leutsch, Wachsmuthi, Wilhelmi Muelleri, Lotzi, Baumanni intereram et seminarii philologici et societatis Germanicae sodalis ordinarius eram. Studiis academicis absolutis Lipsiae ludi litterarii puellarum, qui Noeldekio, homine et doctissimo et amatissimo, floret, magister factus sum. Mense Aprili anni 1877 examine pro facultate docendi Gottingae superato, ad scholam Thomanam, gymnasium Lipsiense, vocatus sum.

Scripsi Lipsiae, die XIX. m. Aprilis a. 1881.

Orationem, quae inter Demosthenicas decima septima est et inscribitur: „περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν" ab aliis vere Demosthenicis maxime abhorrere, veteres grammaticos et criticos non fugit. Iam Dionysius Halicarnassensis[1]), inter veteres criticos harum rerum peritissimus, expressis verbis eam rejecit et in numero earum rettulit, quae sunt λόγοι ψευδεπίγραφοι; Harpocration[2]) sub verbo: προβολάς „εἰ γνήσιος" addidit; Libanius in argumento suo ad hanc orationem ab Hyperide, scholiasta[3]) ab Hegesippo eam scriptam esse voluerunt. Neque aliter recentiores interpretes, A. Schaeferus[4]), Blassius[5]), Weilius[6]) Cobetus[7]) judicaverunt.

Unus tantum atque is vir doctissimus, H. Sauppius[8]), Demostheni orationem ascribere velle visus est, cum accuratius hanc rem se expositurum esse in posterum tempus promitteret, id quod, nisi fallor, non fecit. Sed postea is quoque[9]), sententiam suam commutavit. Quae cum ita sint, ut tamen denuo quaestionem instituerem, eo factum est, quod et homines illi docti pro librorum suorum ratione magis res, quae dubitationem movent, universe significaverunt, quam singulas, imprimis grammaticas, exposuerunt, neque de auctore orationis aut de tempore plane mihi persuaserunt.

Caput primum.

Ab initio oriundum et primum quaerendum est, num Demosthenes ejus auctor sit. Iam medias in res progrediamur et

I. Dispositionem orationis

consideremus et explicemus.

A. Προοίμιον (exordium).

Obsequendum esse vult orator iis, qui pacem servari jubeant. Ita decere eos, qui re publica libera utantur. Sed antea accurate cives inquirant, utrum ii, qui semper suadeant, ut pax servetur, id bona fide fecerint, an cives deceperint (§ 1—2a).

De hoc prooemio l. c. scholiasta iudicat „ἐπειδὴ εἶχε δὲ πολλοὺς τοὺς ἀντιλέγοντας, εἰκότως πρὸς αὐτοὺς τὸ προοίμιον πεποίηται ἅμα μὲν ἠθικῶς, (οὐ παθητικῶς Wolf), ἅμα δὲ πληκτικῶς

1) In libro suo περὶ λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος pag. 1126, 10 (ex recensione Reiskii).

2) Lexicon in decem oratores Atticos (ex recens. G. Dindorfii).

3) cf. scholia apud Dindorfium, pag. 254, 1.

4) In libri, qui est de Demosthene ejusque aetate volumine III, 1 pag. 186 proxx.

5) In libri de Atheniensium eloquentia volumine III, 1 pag. 53 proxx. et III, 2 pag. 121 proxx.

6) In libri, quem inscribit: „Les harangues de Démosthène pag. 462 proxx."

7) In Miscellaneis criticis pag. 85.

8) In „oratoribus Atticis" II, pag. 13 (ad Demosthenem).

9) Hoc apparet ex verbis „commentationis de duabus inscriptionibus Lesbiacis" Gottingae 1870, scriptae pag. 7: „tamen auctor orationis, quae est inter Demosthenicas".

(graviter). Aristoteles[1]) prooemium orationis suasoriae vult pariter compositum esse atque judicialis cf. Volkmann pag. 90. Prooemio autem e re sumpto non ei opus esse, quippe quae eis, qui audiant, nota sit. Sed prooemium ex persona aut ejus, qui verba faciat, aut contra quos faciat, sumptum necessarium esse, si hi rem, de qua agatur, non tam gravem esse putent, quam orator velit. Quae cum ita sint, oratori aut obtrectandum aut infirmandum, aut amplificandum aut detrahendum esse. Haec praecepta in prooemium nostrum optime quadrare, nemo negabit. Legimus apud Demosthenem prooemium plane eodem modo, atque hoc conformatum in Olynthiaca altera § 1—2.

B. *Πρόθεσις* (Propositio § 2b).

Dicit orator se ex ipso foedere demonstraturum esse, qui sint, qui pactum violaverint. Utitur propositione satis expressa, cujus similes, quae in exordio totius tractationis leguntur, apud Demosthenem duae tantum suasoriarum primis temporibus habitarum exstant, orationis *περὶ τῶν Συμμοριῶν* (XIV) et *ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν* (XVI). Propositio orationis *περὶ τῆς εἰρήνης* non tam definita et expressa est. In aliis suasoriis propria propositio plane desideratur. Nil, nisi quod deinceps tractatur, praemittitur. Contra Hegesippus in oratione *περὶ Ἁλοννήσου,* quae aliis quoque rebus hujus similis est, propositionem similem praemittit[2]): Quod attinet ad propositionis argumentum, quod non sufficit ad ea, quae orator vult, efficienda, infra accuratius disserendum est.

Bb. *Μετάβασις* (transitio) propositioni addita est: *ὡς δὲ περὶ μεγάλων συντόμως διδάξω,* quae in Demosthenis suasoriis deest (§ 2b).

C. Tres principales orationis partes,

διήγησιν (narrationem) sive accuratius *καταδιήγησιν*, quam in hac oratione habemus[3]), et *πίστιν* (argumentationem) et *λύσιν* (refutationem) orator non inter se distinctas tractat, sed ita conjungit, ut ab singulis foederis Corinthiaci legibus orsus singula facta, quibus eae violatae sint, breviter, narret, deinde demonstret, has res contra commune foedus factas esse, postrema ea, quae a Macedonum et pacis servandae amicis opponantur, refutet[4]). Cum sex rebus foedus violatum sit, sex quoque partes argumentationis fiunt, quarum tertiam orator tantum commemorat.

C. I) Prima (§ 3—10) exponitur, Alexandrum contra foederis verba Philiadae filios Messenam reduxisse.

1) Athenienses arma capturos esse, si illis temporibus Pisistratidae viverent atque aliquis eos Athenas reducere vellet (§ 3 exemplum).

2) Alexandrum, cum Philiadae filios Messenam reduceret, tyrannum se gessisse, pactum commune neglexisse (§ 4 *καταδιήγησις*).

3) nil ex foedere interesse, utrum tale scelus apud se ipsos, an apud alios Graecos factum sit. Nam in foedere dilucidis verbis additum esse, eum, qui talia faceret, omnibus civitatibus, quae

---

1) Rhetorica III c. 14 pag. 138 (ed. Bekker) — cf. Volkmanni libri de arte rhetorica Graecorum et Romanorum pag. 245.

2) *ἐγὼ δ' ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, βούλομαι πρῶτον μὲν περὶ ὧν Φίλιππος ἐπέσταλκεν, περὶ τούτων διεξελθεῖν· ὕστερον δὲ περὶ ὧν οἱ πρέσβεις λέγουσι, καὶ ἡμεῖς λέξομεν.*

3) cf. Volkmann l. c. pag. 113 et Fortunatiani art. rhetoric. apud Halmium: „rhetores Latini minores" p. 112 et adde, quae Volkmann pag. 122 de hac narratione explicat.

4) cf. Aristotelis Rhet. III, 17 pag. 144, qui argumentationem et refutationem omnino non segregat et Volkmann: l. c. p. 243 et proxx.

communis foederis participes essent, bello persequendum esse (§ 5 et 6). Neque ab iis, qui pro Macedonum partibus stent, id obici posse, quod ante foedus factum illi tyranni fuerint, nam ex insula Lesbo tyrannos, qui et ipsi ante foedus dominationem occupavissent, ab Alexandro expulsos esse (§ 7 et 8 refutatio et petitio patriae proditorum).

4) foedere omnes Graecos liberos esse juberi, itaque ex foederis legibus se facere non posse, quin cum iis, qui foedus violaverint, bellum gerant; tempus quam maxime idoneum esse (§ 8 et 9 argumentatio conjuncta cum adhortatione).

Primum offendimus in exemplo illo § 3 satis conspicue in exordio totius argumentationis posito. Valde hoc Weilius l. c. pag. 463 laudat, esse id magna gravitate et quod Atheniensium animos ad alacritatem et iram accendat. Item scholiasta exemplum probat [1]). Consentio cum Weilio hoc loco habere exemplum summam vim, sed nego esse ex consuetudine Demosthenis tale exemplum in initio totius argumenti ponere; equidem nullum aliud exemplum hujusmodi in orationibus Demosthenicis legi. Neque haec collocatio exempli cum rhetorum praeceptis convenit cf. Aristotelis rhet. II, 20 pag. 90 [2]).

C. II) Altera (§ 11—15) parte Pellenae contra foedus commune re publica libera sublata Chaeronem, luctatorem clarum, tyranni loco ab Alexandro impositum esse, demonstrat.

1) se ad alteram rem foederis legibus jussam venire, scriptum enim esse (§ 10a transitio).

2) Pellenae rem publicam liberam a Macedone sublatam, cives ejectos, bona publicata, Chaeronem tyrannum constitutum esse (§ 10b *καταδιήγησις*).

3) esse interrogandum, utrum malint foederis legibus oboedire et contra Macedones arma capere, an Macedonum satellitibus obsequi, qui jam sint tanta audacia, ut bonos cives leges suas abrogare, condemnatos homines emittere cogant. Quae scelera illos ideo patrare, quod pecunia Macedonum corrupti sint (§ 11—13 refutatio et petitio adversariorum).

4) pareant igitur verbis amicorum Macedonum et observent foedus, nisi videant, illud pactum, quod vetat injuriam ullam fieri, et ab illis a cogitatione excludi et a Macedonibus maxime violari (§ 14 argumentatio ex pugnantibus et adhortatio).

Exemplo igitur omisso hae duae partes plane eodem modo compositae sunt.

C. III) Tertiam partem, ut jam supra diximus, orator accuratius non tractavit. Transit ad eam verbis „*τὸ δὲ καταγελαστότατον, ἔστι γὰρ ἐν ταῖς συνθήκαις*“ et commemorat tantum contra ipsa verba foederis caedes fieri, cives expelli, bona publicari, agros dividi, novas tabulas fieri, servos manumitti. Atque magistratus quosdam institutos esse, qui, ne talia fierent, impedirent. Sed tantum abesse ut illi officium suum expleverint, ut ipsi leges saepissime et maxime violaverint (§ 15).

C. IV) Quarta parte (§ 16—18) disserit, Alexandrum et antea contra foedus exules cum armis in urbes reduxisse et nuper illius jussu magistrum quendam luctandi Sicyone tyrannum factum esse.

1) se aliud demonstraturum esse, quod foedus solverit, scriptum enim esse (transitio 16a).

2) Macedonem nunquam arma deposuisse, nuper Sicyonem illius jussu tyrannum reductum esse (16b *καταδιήγησις*).

---

1) „*χρὴ δὲ εἰδέναι, ὅτι πολλάκις καὶ αὐτὰ τὰ προηγούμενα κεφάλαια ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ λέγοντος πρωταγωνιστικῶς προσάγεται, ὡς πρὸς ἀντίθεσιν, ὅταν ὁ ἀκροατὴς διακείμενος ἑτέρως τυγχάνῃ. αὐτίκα γοῦν τοῦ ἀκροατοῦ κἀνταῦθα νομίζοντος κυρίας εἶναι τὰς συνθήκας εὐθὺς ἀγωνιστικῶς εἰσάγει τὸ κεφάλαιον ἐκ παραδείγματος.*“

2) *δεῖ δὲ χρῆσθαι τοῖς παραδείγμασι μὴ ἔχοντα μὲν ἐνθυμήματα ὡς αποδείξεσιν* et quae sequuntur' *διὸ καὶ προτιθέντι μὲν ἀνάγκη πολλὰ λέγειν, ἐπιλέγοντι δὲ καὶ ἓν ἱκανόν.*

3) ex communi pacto res publicas, quae talia faciant, foederis expertes esse (17a argumentatio).

4) si verum dicendum sit, id cadere in Macedonicas; oboediant igitus eis, qui suadeant, ut pacis leges observent, atque Macedones expertes foederis communis reddant. Esse enim injustum, leges foederis, quae pro hostibus patriae sint, firmare, quae pro patria sint, infirmare. (§ 17 et 18 refutatio et petitio adversariorum).

Haec quoque quarta tractatio simillima est earum, quae praecedunt, nisi quod hic argumentatio refutationem antecedit. Notandae etiam sunt transitiones frigidae et durae et partis alterius (§ 10) et tertiae (§ 15) et quartae (§ 16) et paulo post sextae (§ 26), quas jam scholiasta reprehendit [1]).

C. V) Quinta parte (§ 19—21) orator affert, Macedones contra leges foederis navigia, quae frumentum Athenas transportabant, Tenedi retinuisse atque tum demum dimisisse, cum Athenienses classe comparata et duce creato bellum indicturi essent.

1) nullam rem publicam Graecam ipsos incusaturas, sed omnes gratias acturas esse, si demonstrent, Macedones foedus violasse, inesse enim in foedere (transitio paulo elegantior § 19a).

2) Macedones tam audaces jam se gerere, ut contra foederis legem, ne navem ullam quisquam intercipiat, Atheniensium navigia Tenedum deduxerint, neque prius emiserint, quam Athenienses classem instruxerint eique Menestheum praeposuerint (*καταδιήγησις* § 20).

3) nonne dementes illos esse, qui poscant, ut Athenienses in pactis ita a Macedonibus violatis maneant, quasi illud in foedere scriptum sit, Macedonibus, quaecunque vellent, facere licere, Atheniensibus ne se defendere quidem? (refutatio § 21).

4) propter illud factum secundum foederis leges se tum Macedones maris dominatione privare potuisse, id quod etiam illo tempore ipsis licere. Sed, quominus hoc faciant, se impediri a Macedonum satellitibus, qui res patriae minuant, simulque confiteantur, civitatem si tantis terra marique opibus utatur, facile omnes hostes propulsare posse. (§ 22—25 argumentatio et petitio adversariorum).

Quid? denuo nonne fere eodem modo orator disputavit?

C. VI) Sexta parte (§ 26—30) orator id Macedonibus crimini dat, quod contra foedus navi longa in Piraeum invehi conati sunt.

1) Ea esse facinora, quibus foedus violatum sit, gravissimum autem et audacissimum illud esse quod (transitio § 26a).

2) contra foedus Macedones in portum Piraeum invectos et expertos esse, num compluribus navibus id conari possent. Nam praefectum navis, qui diceret, se petere, ut parva navigia aedificare sibi liceret, in animo habuisse, portum occupare, ibique naves longas aedificare (*καταδιήγησις* § 26b et 27).

3) causam illam a navis duce allatam, quod Athenae abundent navalibus, fictam esse. Immo vero illum non solum Athenis naves construere, sed etiam militibus complere voluisse. Sed a Macedonibus, praeceptis proditorum eruditis, cives jam ita contemni, ut ipsos ne sentire quidem putent, quomodo tyrannus foederis legibus utatur. (Refutatio et petitio adversariorum § 28 et 29).

4) in pactis igitur maneant (argumentatio ut supra ex pugnantibus, quae arte conjuncta est cum epilogo § 30a).

---

1) Dicit *ἐπάγουσι δὲ ἐγκλήματα τῷ λόγῳ πρῶτον μὲν αἱ εἰσαγωγαὶ τῶν κεφαλαίων ὕπτιαι καὶ ἱστορικαί, οἷαι καὶ αἱ παρ' Ἡροδότῳ ἔννοιαι.*

D. *Ἐπίλογος* (peroratio).

1) se et aetate et usu doctum aliquid pro certo prolaturum esse, quod et justum et utile sit (§ 30a).

2) esse enim foederi adscriptum: „si quis vellet foederis particeps esse", ipsis igitur licere nolle (§ 30b).

3) itaque se, si jubeant, rogaturum esse, cum illis, qui foedus violaverint, ex foederis verbis bellum gerendum esse (§ 30c).

Peroratio neque ex consuetudine Demosthenis vel loco communi vel votis pro patria factis, quae in hanc orationem bene quadrarent, amplificata est, neque verba quaedam graviora in fine posita sunt, ut in oratione V et XIV, sed anxie, ut per totam orationem, orator in verbis foederis haeret.

Dispositione ita exposita, (de quattuor magnis epichirematis paulo post accuratius disseremus) dubito, num quis orationem semper eodem modo formatam Demostheni attribuat, qui, si quis alius abhorrebat, ab dispositionis similitudine, quam hodie „schematismum" vocant[1]). Hac autem oratione ii, qui audiunt, propter summam dispositionis similitudinem magis defatigantur, quam ad decernendum et ad agendum impelluntur.

Non aliter judicabimus, si jam

II. Elocutionem orationis

examinaverimus, num sit Demosthene digna. Theophrasti in libro *περὶ λέξεως* descriptionem, quam ex Dionysii de Isocr. judicio c. III pag. 539 (ex Reiskii ed.) promimus: *„καθόλου δὲ τριῶν ὄντων, ὥς φησί Θεόφραστος, ἐξ ὧν γίγνεται τὸ μέγα καὶ σεμνὸν καὶ περιστὸν ἐν λέξει τῆς τε ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων καὶ τῆς ἐκ τούτων ἁρμονίας καὶ τῶν περιλαμβανόντων αὐτά σχημάτων"* sequimur[2]) atque primum

A) De delectu et structura verborum disputamus.

Ut ordinem quendam servemus, primum voces in medium proferamus, quae ab auctore hujus orationis singulari modo vel formatae vel usurpatae sunt.

Talia verba sunt § 7 *τυρραννίζειν* et § 11 *βδελυρεύσθαι* quae jam scholiasta reprehendit[3]). Prius verbum *οἱ τυραννίζοντες* (qui tyrannorum rebus student) auctoritate Demosthenis firmare non potes; simile verbum, quod indicavit Blassius, ab eo formatum est, *φιλιππίζειν* (XVIII, 176), addo ab Herodoto saepius usurpatum *μηδίζειν*, quod legitur in oratione quoque, quae est inter Demosthenicas LIX, 95 (*κατά Νεαίρας*). Alterum verbum *βδελυρεύεσθαι* (ore improbo negare) nusquam alias legitur, utitur Demosthenes[4]) adjectivo *„βδελυρός"* et adverbio *βδελυρῶς* saepius, exempli causa XIX, 175, 206, 208, 287, 291, 309 et XXI, 98, 107, 123, 143, 151, 197 et XXII, 66, et XXXVI, 58 et LIV, 22; substantivo *βδελυρία* XXII, 52 epist. III, 18 (1478).

Similia substantiva, quae frustra apud Demosthenem quaeris, sunt:

§ 7 *δυσχέρεια*, substantivum, quod apud Isocratem V, 12 (*ταύτας τὰς δυσχερείας ὑπεριδών*) saepe apud Platonem et poëtas tragicos, etiam apud Polybium et Plutarchum legitur, apud Demosthenem tantum adjectivum XIX, 308, LV, 5, LVII, 15, prooem. XXXVII (1446); adverbium LVII, 35; verbum *δυσχεραίνειν* XVIII, 43, XXI, 86, LV, 11 leguntur.

---

1) de hac re cf. Blassium l. c. III, 1 pag. 190.

2) cf. quoque Volkmann. l. c. p. 332 et proxx., qui easdem elocutionis partes statuit, sed ordinem mutavit.

3) *μέμφονται καὶ τῇ λέξει δικαίως, τὸ γὰρ νεόπλουτοι καὶ τυραννίζοντες καὶ βδελυρεύσεταί τις καὶ ὅσα τοιαῦτα ου συνήθη Δημοσθένει.*

4) annoto in universum tantum locos, qui sunt in orationibus vere Demosthenicis, non in suppositiciis.

Substantiva § 15 certe ex ipsius foederis verbis prompta in quaestionem hic non vocanda sunt: *δήμευσις*, apud Demosthenem non exstat cf. Arist. Polit. IV, 11, VI, 3; *ἀναδασμός* apud Demosthenem quoque in psephismate XXIV, 149 et Plut. Res publ. VIII, 560, e; *ἀποκοπή* apud Demosthenem in psephismate XXIV, 149 Andocides I, 88; *ἀπελευθέρωσις* apud Plutarchum Poplic. VII; *νεωτερισμός* Plat. Rep. VIII, 555, d. Legg. VI, 758, c. leguntur. Sed alia ab ipso auctore usurpata substantiva accedunt:

§ 20 legis *ὑπεροψία*: Demosthenes loco ejus vocabulum *ὑπερηφανία* ponit XXI, 83, 96 137, 195, 199. Contra apud Isocr. VIII, 96 et Lys. XII, 93 invenitur.

§ 25 verba sunt *προβολὰς ἑτέρας*, quae jam Harpocration annotat: „*ἀντὶ τοῦ ἀσφαλείας, ἐκ πόλεων ἢ τειχῶν ἢ τινῶν ἄλλων δυνάμεων ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ κράτει γιγνομένων*". Demosthenes. quamquam vocabulum ponit, tamen alia atque ea juridica significatione usurpat, ut sit accusatio quaedam publica.[1]) Vim, quam hoc loco *προβολή* praebet, habet apud Xenoph. Memorab. III, 5, 27 et apud Platonem, non apud oratores.

§ 26 *ἀπόπειρα* hoc quoque substantivum neque apud Demosthenem neque apud ceteros oratores repperi, legi apud rerum scriptores et Herodotum et Thucydidem.

§ 27 item neque a Demosthene neque ab ceteris oratoribus substantivum *παράδυσις* usurpatum est.

§ 28 *Ἐθισμός*, quod cum illo conjunctum est, Aristoteles Ethic. I, 7 et Polybius saepius usurpaverunt, nullus orator.

§ 29 idem cadit in substantivum *ἔκλυσιν*, quod propria significatione corporis dissolutionis apud Galenum et Hippocratem saepius invenitur, hac translata significatione, nisi fallor, nullo alio loco; poëtae ita usurpant, ut liberationem significet.

Adjectiva addimus, quae a Demosthenis genere dicendi recedunt.

Primum § 3 *ἀργυρώνητος*, quod apud Lucianum et Plutarchum saepius, etiam apud Isocratem IV, 123, XIV, 18, invenitur. Posteriore loco verba mirum in modum ad nostra accedunt: *οὐδὲν ἧττον τῶν ἀργυρωνήτων δουλεύουσιν.*

§ 8 *ὑπεράτοπος*, simplex adjectivum *ἄτοπος* saepius Demosthenes usurpat I, 26, XV, 25, XLV, 51, 52, 76, LI, 4, 21, sed haec gradatio, quae fit praepositione *ὑπέρ* praefixa, verbi jam per se gravissimi abhorret a simplici Demosthenis usu dicendi; neque apud alium scriptorem hoc adjectivum legitur, est autem plane ex hujus oratoris consuetudine. In universum enim hoc loco memoratu dignum videtur, quam multis superlativis atque aliis verbis magna vi hujus orationis auctor utatur. Optime hoc docent superlativa illa: § 26 *τὸ ὑβριστικώτατον καὶ ὑπεροπτικώτατον*, quorum prius etiam apud Demosthenem legitur, forma comparativa XIX, 85, XXII, 54, alterum apud Isocratem I, 30 (*τὸν τῶν ὑπεροπτικῶν ὄγκον*) et Xenophontem et Platonem, non apud Demosthenem. Alia superlativa inveniuntur § 15 *καταγελαστότατον*, § 20 *ἐναργέστατα*, § 22 *παρ' ἐλάχιστον*, § 23 *ὑβριστικώτατον*, § 26 (cf. supra) *ὑβριστικώτατον καὶ ὑπεροπτικώτατον*, § 28 *εὐτελέστατα*, § 30 *ἐξ ἀρχαιοτάτου καὶ πλείστων καὶ μάλιστα πάντων ἀνθρώπων*.

Alia vocabula, in quibus inest major gravitas, reperis; § 5 *περιβόητος*, § 8 *ὑπεράτοπος*, § 11 (cf. supra) *βδελυρεύεσθαι*, § 12 *παμπληθῆ τοιαῦτα*, § 14 *ταραχὴ ἄτοπος καὶ μεγάλη*, § 17 *δεσποτικῶς καὶ ἀσελγῶς*. Similis structura majore vi est § 11 *ὡς καὶ τῆς ἐπιορκίας αὐτοκράτορος ὄντος ἐκείνου*, quam jam Blassius laudat, atque re vera Demosthene non indigna est.

Hac digressione facta, ex qua postea fructum nos capturos esse spero, ad adjectiva revertamur.

---

1) cf. Schoemanni antiquitates Graecas I pag. 416 et Demosthenem XXI, 8.

§ 23 adjectivum *νεόπλουτος* exstat, quod jam scholiasta, ut supra vidimus, jure notavit. Demosthenes enim, quamquam sententiam, quae in verbo inest, saepissime exprimit, III, 29, VIII, 66, XXIV, 124, de quibus locis infra accuratius disputabimus, nullo loco adjectivum usurpat. Neque apud alios oratores legitur, est apud Aristoph. Vesp. 1309 et Arist. Rhet. II, 9, 20 et Lucianum de hist. conscrib. c. 20 et in Plut. Symp. II pag 634, c.

§ 29 *ἀδιήγητος* apud Demosthenem non invenitur, est adjectivum satis rara positum, exempli causa Xenoph. Cyropaed. VIII, 7, 3 et 22.

Adde his adjectivis, quae ab hujus orationis auctore a verbis formata sunt, duo similia, quae Demosthenes quoque usurpat, *καταγέλαστος* § 7 et 15 apud Demosthenem VIII, 67 et *ἀνυπόστατος* § 24 apud Demosthenem LIV, 38 et dic, utrum haec forte ita formata esse an consulto et studio quodam tibi videantur. Imprimis si idem in adverbiis formandis et derivandis apparet.

Haec sunt adverbia, quae ab usu dicendi Demosthenis abhorrent:

§ 2. *ἀνεγκλήτως*, quod repetitur § 22 et 30, apud Demosthenem non reperitur, quamquam Pollux VIII, 69 Demostheni id attribuit, est apud Isocratem et in Aristotelis Polit. VI, 8. Adjectivum et Plato et Xenophon usurpant et exstat in secunda epistula, quam Blassius Demostheni ascripsit § 14 (1470) *ἀνέγκλητον πεποίηκε τὴν πόλιν.*

§ 2 *συντόμως* idem de hoc adverbio statuendum est; legitur apud tragicos, exempli causa Aeschylis Eumen. 393, raro etiam apud oratores, apud Aeschinem II, § 51: *ὡς συντόμως καὶ τἄλλα πάντα ἀπαγγελῶ,* apud Isocratem I, 12 *πειράσομαι συντόμως ὑποθέσθαι,* III, 35 *συντόμως ἔχοντα δηλῶσαι*; et in epistula Philippi, quae inest in orationibus Demosthenicis, § 10 *συντόμως εἰπεῖν.* Apud Demosthenem verbum *συντέμνω* XXIV, 14 et XLV, 5 legimus, adverbium nullo loco.

§ 13 *ἐξεταστικῶς*: adjectivum est apud Xenoph. Memorab. I, 17, *τὸ ἐξεταστικόν* legitur in oratione, quae inscribitur „*περὶ συντάξεως*“ § 4, quae est suppositicia; adverbium apud oratores nullo loco.

§ 29 *καταπεφρονηκότως*, hoc quoque adverbium ab oratoribus nusquam positum est usurpavit Diodorus Siculus XIV, 17, 19, 92, 93, 95.

Si his adverbiis addis duo alia *περιβοήτως* § 5 et *ἀναμφισβητήτως* § 25, quorum alterum, apud Demosthenem quoque legitur XVIII, 306 atque alias apud oratores, exempli causa apud Lysiam IV, 9; „*ἣν ἔξεστιν αὐτῷ ἀναμφισβητήτως ἔχειν*“ prius Demosthenes non usurpat — adjectivum XVIII, 297 et XXXIV, 29 ponit — est apud Aeschinem I, 113: „*ὡς περιβοήτως ἐξηλέγχθη*“, duodecim adjectiva et adverbia a verbis derivata in hac oratione inveniuntur, quorum major pars ab hoc oratore singulari modo formata est. Praeterea commemoraverim adverbium § 13 *παρέργως*, quod idem non tam saepe apud oratores legi, exempli causa apud Dinarchum III, 14: „*δεῖ μὴ παρέργως ἔχειν*“ nusquam apud Demosthenem; adjectivum: *τἄλλα πάρεργα* LI, 17. Ne *λίαν* quidem, quod § 1 exstat, Demosthenes saepius usurpat. Additur substantivis, — cf. Kruegeri artes I, 50, 8, 4, — VI, 21; adjectivis et adverbiis XIV, 41, XX, 145, XXI, 103, XXVII, 16, 24, XXIX, 2, XXXI, 2; verbis XVIII, 174, XXI, 205, LIV, 11. Contra adverbium *σφόδρα,* quod paulo post legitur, et *πάνυ* et *μάλιστα* multo saepius usurpantur; *σφόδρα*, nisi fallor, in orationibus vere Demosthenicis tricies, *πάνυ* sive *πάνυγε* vicies quinquies, *μάλιστα* septuagies.

Transeamus ad verborum structuras. Statim prima totius orationis verba cum Demosthenis usu dicendi discrepant. § 1 „*ἀποδέχεσθαι τῶν διακελευομένων*“. Hoc verbum ita cum genitivo participii conjunctum, ut *ἀκούειν* et similia apud Hegesippum VII, 21, „*τῶν συκοφαντούντων ἀποδεχόμενοι*“, legitur, quem ad locum Rehdantzius[1]) alia ex oratoribus hujus structurae

1) In indice II, ad Demosthenis novem Philippicas orationes, pag. 200 sub *ἀπό*.

exempla annotavit. Inter quae verba sunt τούτου φενακίζοντος quoque ex oratione LVI, 31, quae est inter Demosthenicas, sed jure ei abjudicatur. Hic enim verbum ἀποδέχεσθαι aut absolute ponit XVIII, 277 XIX, 78 aut cum accusativo conjungit XXI, 14, XXII, 19 (τούτου ταῦτ') XXVII, 50, 59, XXX, 11 prooem. XXX, (1439).

Magis etiam offendimus in verbis § 3 „ἀντὶ τοῦ παραδέξασθαι ἢ πεισθέντας γε δουλεύειν ἀντὶ τῶν ἀργυρωνήτων.“ Jam Blassius in libro suo III, 2 pag. 125 hunc locum in structuris reprehendendis refert. Ne dicam de parum eleganti repetitione praepositionis ἀντί, significatio ejus, quae altero loco ab auctore hujus orationis usurpata est, ut aequationem quandam exprimat (pro „instar“,) nullo alio loco apud Demosthenem invenitur. Saepius apud poëtas, imprimis Homerum, exstat. Contra vis permutandi saepissime in hac praepositione apud Demosthenem inest, plurimum, ut hoc loco, cum genitivo infinitivi conjungitur, exempli causa III, 21, IX, 61, XVIII, 124, 230, XIX, 325—327 (quinquies) XXI, 109, 111, XXIII, 112, 150, alias. Similis hujus loci is esse videtur, qui apud Demosthenem XLV, 73 legitur: „τοὺς Ἕλληνα μὲν ἀντὶ βαρβάρου ποιήσαντας, γνώριμον δ' ἀντ' ἀνδραπόδου“, sed hic praepositio vim permutandi, non aequandi habet, aliquid simile reperis in eadem oratione § 84.

Quoniam de praepositionibus quaerimus, extra ordinem verba § 11: „τῶν καθ' ὑμῶν πεπλουτηκότων“ in medium proferemus, ubi praepositio κατά satis insolenter usurpata esse videtur. Voemelius [1]) verba vertit „in vestram perniciem locupletati sunt“. Sed Demosthenes uno loco XVIII, 19: „κατὰ πάντων ἐφύετο“ similiter hac praepositione usus est, Voemelius item vertit in vestram perniciem [2]). Verba, quae eandem, atque hoc loco habemus, sententiam exprimunt, legis XVIII, 131: „πλούσιος ἐκ πτωχῶν διὰ τουτουσὶ γεγονώς“, ubi διά cum accusativo usurpatum est. Neque silentio praetermittendus est tertius rarus praepositionis usus, qui in § 18 hujus orationis exstat, dico praepositionem πρός cum genitivo „τῶν ἐχθρῶν“ eadem significatione conjunctam ac multo usitatiorem ὑπέρ. Duobus tantum locis πρός ita apud Demosthenem positum est, nam tertium, qui est in oratione XXXIV (πρὸς Φορμίωνα) § 49, in horum numerum non refero, est enim non Demosthenis. Alter exstat XXXIX (πρὸς Βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόματος) § 40: „πρὸς ἐμοῦ τὴν ψῆφον ἔθεσθε“, quae oratio, quamquam a veteribus criticis Dinarcho ascripta est, tamen jure et a Schaefero et a Blassio Demostheni tribuitur. Alterum in prooemio undequadragesimo (1448): „κἂν τοῦτο πρὸς ὑμῶν ἤδη γίγνοιτο“ legi, nam prooemia cum Blassio contra Schaeferum Demosthenica esse non nego. In omnibus aliis orationibus, imprimis in civilibus, πρός cum genitivo in certis quibusdam juris jurandi tantum formulis ponitur [3]). Uno autem loco, qui doctissimum illum hominem fugit, XXIII, 182 significationem habet, ut sit „ex adverso“. Tertium cum genetivo conjuncta in una oratione LVII (πρὸς Εὐβουλίδην) § 20, 22, 23, 46 ita usurpatur, ut originem significet. Hanc quoque structuram Rehdantzius in indice non annotavit, certe Schaeferi sententia commotus, qui censebat, hanc orationem Demostheni abjudicandum esse, sed recte Blassius l. c. pag. 427 et proxx. judicavit, sine ulla causa de hac re dubitari. De praepositione ἐπί § 16 satis moleste ter repetita: „ἐπιφέρειν ἐπὶ πολέμῳ ἐπὶ μηδεμίαν πόλιν (ex Aug. 1) et ὑπό § 25 bis repetita: „πεπαυμένων ὑπὸ τῆς τύχης τῶν δορυφορουμένων ὑπὸ τῶν τυραννικῶν στρατοπέδων, si ad orationis ornatum venimus, accuratius tractabimus. Jam, his rebus, quae ad praepositiones pertinent, ad finem perductis, redeamus ad verba § 3

---

1) Demosthenis orationes. Halis 1857. p. 874.

2) cf. Bernhardy, syntax Graec. p. 238, qui ad hunc praepositionis κατά satis rarum usum locum ex Dinarchi tertia oratione (κατὰ Φιλοκλέους) annottat § 2: „καὶ δῶρα τολμήσας λαβεῖν κατὰ πάντων ὑμῶν“

3) cf. Rehdantzii indicem II pag. 281.

„ἀντὶ τοῦ παραδέξασθαι ἢ πεισθέντας γε δουλεύειν ἀντὶ των ἀργυρωνήτων.“ Notandum mihi videtur compositum παραδέχεσθαι (recipere), quod Demosthenes non usurpat, vim verbi compositi similem verbis ὑποδέχεσθαι, ἀναδέχεσθαι, προςδέχεσθαι, εἰςδέχεσθαι efficit. Hoc compositum tantum in suppositiciis orationibus XL, 2 et LVIII, 38, praeterea apud Aeschinem I, 178 εἰς τοὺς ἀγῶνας παραδέχεσθε et II, 77 παραδεξαμένους φρουράν legitur. Haec sunt singula verbi δέχεσθαι composita a Demosthene usurpata:

I) δέχεσθαι (accipere) IV; 12, XVIII, 178, 215 (recipere) 239, XIX, 139, 331, 335, XX, 52, XXII, 1, XXIII, 85, XXIV, 89, XXXVII, 28, XXXIX, 4, prooem. XXXIII (1442) LIV (1460); II) ὑποδέχεσθαι (recipere) I, 5, XIX, 73, 74, 331, XX, 54, XXIII, 85 (bis) XXVIII, 21, XLIX, 62, LV, 19 (intransitive positum = excipere); III) ἀναδέχεσθαι (recipere vel suscipere) II, 7, XIX, 37, XXII, 64, XXIV, 14, 170; IV) ἀποδέχεσθαι (audire cum assensu) cf. supra; V) ἐκδέχεσθαι V, 18, (aliquid exspectare) XVIII, 21, (absolute positum = succedere); VI) ἐνδέχεσθαι personaliter dictum (in se suscipere) XIX, 37; impersonaliter dictum (licere, fieri posse) XIV, 6, XVIII, 239, XXVII, 12, XXIX, 50, XXX, 16; uno loco, ubi hanc significationem habet, personaliter quoque dictum est III, 20; VII) προςδέχεσθαι (recipere) XIX, 318, 321, XXIII, 162, LVII, 29, 59, prooem. XXIII (1433); VIII) εἰσδέχεσθαι recipere) semel LV, 17, praeterea in oratione suppositicia XL § 9, 11, 14 et in hac oratione § 28; IX) καταδέχεσθαι (expulsos recipere) LVII, 60, 61.

Ne res similes sejungamus, jam verbum διακελεύεσθαι, quod § 1, 5, 12, 24, 30 legitur, addere volumus. Apud Demosthenem vel simplex κελεύειν, vel compositum παρακελεύεσθαι XIX, 13, XXI, 2, LIV, 25 exstat; nullo loco διακελεύεσθαι. Legis apud Isocratem XVIII, 45 διακελεύομαι μνημονεύειν et apud Herodotum et Xenophontem.

Idem dicendum est de composito συντρέχειν § 9, quod nusquam Demosthenes usurpat, saepius Polybius hac significatione concurrendi IV, 48, 10, VIII, 17, 6, alias. Reperis προςτρέχειν XXI, 224 et ἐπιτρέχειν XXVII, 56 et XXIX, 48, sed non translata significatione, qua utitur auctor hujus orationis § 19: „μικρὰ ἐπιδραμοῦμαι“, ut sit „verbis percurrere“; duobus locis servat propriam significationem „accurrendi cum studio“.

Tertium tale compositum verbum ἐπικρύπτεσθαι § 17 affero. Legitur tantum in suppositicio Erotico § 46, ubi idem est atque „obscurare“. „Celandi“ autem significationem neque Demosthenes neque alius orator, nisi fallor, hoc verbo exprimit, saepius Plato. Apud Demosthenem est compositum ἀποκρύπτεσθαι VI, 31, XVIII, 156, XXIV, 72, XLV, 66, LVII, 51, aut rarius συγκρύπτειν II, 20, XIX, 248 prooem. XXXVII, (1446).

Compositum διαμάχεσθαι § 18 quod et Bekkerus et Dindorfius et Turicenses legunt, ex auctoritate codicis Aug. 1. consulto praetermisi. Qui codex verba habet „πρὸς τοῦτο δὲ μαχομένους“, recte autem Voemelius in annotatione ad § 10 judicasse mihi videtur, in reliqua parte orationis a paragrapho decima, usque ad quam tantum codex Σ verba habet, familiae Aug. 1, quippe quae in primis paragraphis et in formis et in verbis ad Σ proxime accedat, summam auctoritatem tribuendam esse.

Contra verbum § 23 ἐναποχρῆσθαι, quod bis compositum est, summam suspicionem movet. Hoc tantum loco legitur; verbum semel compositum ἀποχρῆσθαι § 13 etiam apud Demosthenem exstat XXI, 124; saepius activum ἀποχρῆν ita usurpat, ut „satis esse“ significet IV, 42, XVIII, 137, XXI, 35, XXIV, 79.

Item frustra compositum § 29 ὑπαγορεύειν in Demosthenicis orationibus quaesivi. Exstant composita verbi ἀγορεύειν haec: συναγορεύειν XV, 15, XIX, 178, XXIII, 172; ἀπαγορεύειν XIX, 211, XXIII, 63, XXIV, 123, XXXVII, 25, LVII, 28; προςαγορεύειν XIX, 295, XXIV, 152.

2

Hoc compositum ὑπαγορεύειν raro tantum apud Xenophontem, exempli causa Oec. XV, 7, saepius apud recentiores, nullo loco apud oratores invenitur.

Eodem modo compositum § 30 διαβεβαιοῦσθαι (aliquid publice declarare) alienum est ab oratorum usu loquendi, simplex βεβαιοῦν et βεβαιοῦσθαι Hegesippus VII, 9 et 10 usurpat, similiter Demosthenes dicit XXXVII § 12: „Μνησικλέους βεβαιοῦντος ἡμῖν“. Compositum et Polybius XII, 12, 6 et Diodorus XIII, 90 usurpant.

Accedunt nonnulla composita, quae a Demosthene usurpata sunt, sed apud eum paulo aliam, atque apud hunc oratorem significationem habent. Primum verbum καταλείπειν § 5 profero, quod saepissime apud Demosthenem significat „aliquid relinquere“, imprimis post mortem, exempli causa XX, 75, 79, XXI, 157, XXIII, 208, 210, XXVII, 4, 7, cf. III, 36, IX, 74. Auctor hujus orationis verbum, ut grammatici dicunt, praegnanter ponit, ut idem sit, atque „integrum relinquere“ vel „concedere“; vertit Voemelius: „tanta licentia concedenda illis est.“ Eadem significatio verbi apud Xenoph. Memorab. III, 2, 4 exstat, similis apud Demosthenem quoque XIX, 41 ἀναχώρησιν ἑαυτῷ καταλείπων et XX, 96 μαρτυρίαν καθ' αὑτοῦ καταλείπων.

Magis etiam compositum ἐγγίγνεσθαι § 26 ab significatione, qua Demosthenes utitur, recedit. Est enim hoc loco idem ac „licere“, quae significatio saepius apud Herodotum exstat, non apud Demosthenem. Nam uno loco XIX, 253, ubi ea legitur, verba ipsa Aeschinis afferuntur. Demosthenes hoc verbum de tempore ponit, ut sit „intercedere“ XIX, 324, XXXVII, 2 uno loco idem valet atque „inesse“ XVIII, 68. Vim licendi et verbo ἐνδέχεσθαι, — cf. supra — et ἐνεῖναι IV, 41, IX, 30, XVIII, 175, XIX, 42, XXIV, 87, 188, LVII, 24 et οὐκ εἶναι (non licere) XVIII, 225, 226, 272 (εἶναι) et συγχωρεῖν XVI, 8, XVIII, 20, 175 exprimit. Saepissime autem ponit ἐξεῖναι, quod septuagies annotavi.

Haec sunt, quae de verbis compositis aliter atque a Demosthene usurpatis afferre mihi videbatur. Ut leviores structuras a Demosthene alienas praetermittam, exempli causa verba § 6 „τὸν ἐκεῖνα ἅπερ Ἀλέξανδρος ποιοῦντα“, ubi magnus ille orator, si similem locum XIV, 39 comparamus: „εὔχεσθε πᾶσι τοῖς θεοῖς τὴν αὐτὴν λαβεῖν πρόνοιαν ἐκεῖνον, ἥνπερ ποτὲ τοῖς προγόνοις αὐτοῦ“ posuisset „τὸν ἐκεῖνα ἅπερ Ἀλέξανδρον ποιοῦντα“, cf. Kruegeri art. 62, 4, 3, qui alia hujus attractionis exempla affert.

In proximo paragrapho verba leguntur, quorum est structura mira et poëtica, dico verbum τυραννεῖν cum accusativo junctum: „ἐτυράννουν Μεσσήνην οἱ Φιλιάδου παῖδες“. Sic enim optimus codex Σ verba habet, quem Voemelius et Weilius sequuntur. Ille in annotatione ad locum duo exempla hujus structurae ascribit: Luciani Meretric. dial. III τυραννεῖν τὸ συμπόσιον et Dionys. Hal. Ant. V, 34 τυραννήσαντες τὴν πόλιν. Demosthenes IX, 27 verbum absolute ponit et XX, 161 futurum medii pro passivo ὑφ' ἑνὸς γραμματέως τυραννήσεσθαι. Tur. et Dind. vulgatam lectionem Μεσσηνίων receperunt, sed non est, cur auctoritati codicis non confidamus, neque hanc inusitatam structuram auctori tribuamus, apud quem tales structurae non rarae sunt.

Quid? Verborum, quae deinceps leguntur, διὸ καὶ πῶς οὐχ ὑπεράτοπον ἡγεῖσθαι μὲν τῶν συνθηκῶν aliquid simile in orationibus Demosthenicis non invenitur. Primum enim displicet conjunctio καί, quae saepius interrogativis pronominibus vel adverbiis postponitur, ut magis definiantur cf. Xenoph. Anab. V, 8, 2, id quod vernacula lingua vertimus: „eben, ja“, sed in pronominibus relativis idem efficitur particula περ affixa. Reiskius, qui sensit quam frigida haec structura „διὸ καὶ πῶς οὐχ“ sit, conjecit scriptum fuisse „δικαίως“ quod adverbium ex usu Demosthenico cf. XXIII, 205, XXVII, 66 sententiae antecedenti adjunxit. Sed dubito, num hic auctor ita scripserit, cum verba, quae sequuntur, denuo mirum ejus modum dicendi demonstrent. Jam Blassius l. c. offendit in verbis „ἡγεῖσθαι τῶν συνθηκῶν“ quae idem significant atque „prin-

cipem tenere locum in foedere“ (Voem.) Simile quid apud Demosthenem quoque legi XXIII, 113: „*ὅτι δυοῖν ἀγαθοῖν ὄντοιν πᾶσιν ἀνθρώποις, τοῦ μὲν ἡγουμένου καὶ μεγίστου πάντων, τοῦ εὐτυχεῖν, τοῦ δὲ ἐλάττονος μὲν τούτου, τῶν δὲ ἄλλων μεγίστου, τοῦ καλῶς βουλεύεσθαι.* Quamquam haec verba multo commodius dicta sunt, cum hic *ἡγεῖσθαι* absolute usurpatum sit. Addo, quod apud Demosthenem primam „ducendi“ significationem quinque tantum, nisi fallor, locis IV, 24, 39, 46, XXIII, 103, 196 derivatam „existimandi“ sexcenties annotavi.

In judicium vocamus verba § 9 *ἢ νομίζετε τὸν μὲν καιρὸν ποτ' ἰσχύειν καὶ ἄνευ τοῦ δικαίου τὸ συμφέρον πράττειν.* Pendet igitur hoc loco a verbo *ἰσχύειν* infinitivus: Demosthenes autem id aut absolute ponit: II, 9, IX, 40, XVIII, 7, 203, 321, XIX, 55, 204, 241, XXIII, 102, XXIV, 135, XXXVIII, 22, XXXIX, 33; aut cum neutris adjectivorum, vel cum adverbiis conjunctum: IX, 23, XIX, 283, XX, 147, XXI, 223, XXXVIII. 20 epist. III, 28 (1481); uno loco sequitur infinitivus cum *ὥστε,* sed verbo *οὕτως* adjectum est XVIII, 18. Hoc loco Demosthenes pro verbo *ἰσχύειν* usurpasset *ἱκανὸν εἶναι* cf. XXVII, 32.

Transeamus ad verba § 15 *τὸ δὲ ἔτι καταγελαστότατον* sic habet verba Aug. 1., quem jure sequuntur Voemelius et Weilius. Hic de *ἔτι* cum superlativo conjuncto annotat, hoc loco id esse quod „praeterea“, magis mihi placeret, idem esse ac „deinde“. Weilius putat: „Ici l'adverbe *ἔτι* semble porter sur un comparatif sous-entendu, comme si l'on voulait dire *τὸ δ' ἔτι καταγελαστότερον καὶ πάντων καταγελαστότατον.* Reisk. Bekk. Turic. conjecerunt, oratorem scripsisse *τὸ δ' ἔτι καταγελαστότερον.* Dind. legit ex Barocc 1. *τὸ δὲ καταγελαστότατον*, ceteri libri habent *τοῦτο δ' ἔστι καταγελαστότατον.* Sed, ut supra, verba ex auctoritate Aug. 1. oratori tribuenda esse videntur. Similis particulae *ἔτι* structura apud Demosthenem non exstat. Omnes enim locos, ubi haec conjunctio apud Demosthenem legitur, notavi, notatos hic in medium proferam.

I) significatio temporalis inest, ut sit „adhuc“ II, 30, VIII, 77, IX, 4, 76, XVI, 28, XVIII, 47, XIX, 122, 181, 262, 276, XX, 144, XXI, 2 (*οὐδὲ ἔτι = οὐκέτι*) XXII, 39, XXIII, 168, XXX, 28, XXXVI, 29, LV, 3, 15 prooem., XXXIV (1444) prooem., XXXVIII (1447) epist. II, 8 (1469).

IIa) (aliquid adjungit = praeterea) plerumque conjunctum cum *πρὸς τούτῳ* vel *τούτοις* II, 25, IV, 22, 34, V, 9, VIII, 20, XVI, 6, 21, XVIII, 36, 62, 102, 138, 266, XIX, 9, 141, 220, 230, 313, 329, XX, 35, 154, 160, 163, XXI, 62, 65, 84, 102, 103, 139, 184, XXII, 3, 17, 46, XXIII, 82, 214, XXIV, 36, 47, 61, 187, XXIX, 50, XXXVII, 30, XXXVIII, 28, XXXIX, 3, XLI, 18, 25, XLV, 3, LV, 35.

IIb) enumerat aliquid = „deinde“ XVIII, 58, XIX, 213, 221, 245, 339, XX, 8, 29, 84, 115, 121, 136, XXI, 145, 190, 206, XXII, 21, 40, 63, XXIII, 77, 80, 94, 99, 162, XXVII, 4, 13, 14, 20, 34, 48, 56, XXVIII, 4, XXIX, 15, 16, 17, 33, 48, XXX, 23, XXXVIII, 7, XXXIX, 29, XLI, 6, XLV, 24, LI, 6, 12, LVII, 25, 28, 52 prooem. V (1421) epist. II, 17 (1471), III, 19 (1479).

III) auget aliquid = „etiam“ XVIII, 31, 53, 100, 202, XIX, 128, 144, XX, 81, XXIII, 171, XXXVII, 32, LIV, 44, semper comparativo additum est. His locis ante oculos positis, statuimus satis inepte propter superlativum, quod deinceps sequitur, ab auctore ita *ἔτι* usurpatum esse, ut „deinde“ significet.

Aliam structuram, quam frustra apud Demosthenem quaeris, orator in § 17 ponit: „*εἰ δ' οὐκ ἀνιᾶσιν οἱ καθ' ὑμῶν τῷ Μακεδόνι ὑπηρέται προστάττοντες.* Non offendo in dativo *τῷ Μακεδόνι* cum substantivo verbali conjuncto, cf. similia Demosthenis exempla apud Rehdantzium [1]), sed contra usum Demosthenis verbum *ἀνιέναι* significatione intransitiva orator usurpat et cum participio conjungit.

1) In indice II pag. 209 sub dativo.

Demosthenes rarius hoc verbo utitur, duobus tantum locis XIX, 229 (cf. Voemel.[1]) ad hunc locum) et XXI, 186 ubi bis transitive et cum accusativo ponitur; eodem modo bis compositum ἐπανιέναι (remittere) ab eo usurpatur II, 30, XVIII, 177. Omnibus aliis locis pro verbo ἀνιέναι apud Demosthenem ἀφιέναι legis plus septuagies. Sed paulo post in verbis § 20 hujus orationis „σκευωρούμενοι περὶ αὐτὰ οὐπρότερον ἀφεῖσαν“ participium „σκευωρούμενοι“ non pendet a verbo ἀφεῖσαν, ut Voemelius vertit „tergiversari de iis non prius destiterint“ sed facile ad hoc verbum objecti loco verbo „τὰ πλοῖα“ supplentur.

Etiam verba § 24 ἅμα δὲ λανθάνουσιν ἑαυτοὺς ἀνυπόστατον τὴν πόλιν ὁμολογοῦντες εἶναι afferenda sunt. Demosthenis enim ad verbum λανθάνειν cum participio junctum pronomen reflexivum non adicit, facit Isocrates VIII, 32: „λελήθασι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῦ τε φρονεῖν ἄμεινον καὶ τοῦ πράττειν βέλτιον τῶν ἄλλων ὀλιγωροῦντες. Hi sunt loci, ubi Demosthenes verbum ponit: I) absolute dicit XVIII, 148, XIX, 226, XXI, 86, 89, 218, XXIII, 195, XXIV, 115, XXVII, 64, XLV, 30, LI, 15, LVII, 27.

II) cum participio conjunctum ponit: a) non reflexive XVIII, 140, XIX, 13, XLV, 80, 85;

b) reflexive (pronomine non adjecto) I, 11, VI, 27, XIX, 96, XX, 125, XXIII, 123, prooem. IX (1424), XVII (1429);

III) cum accusativo positum usurpat VI, 5, XVIII, 190, XIX, 239, XXII, 38, XXIII, 134, XXIV, 36, 66, 199, XXXVII, 55, prooem. XLVIII (1455) epist. I (1464);

IV) sequitur participium et accusativus personae XVI, 5, XXIV, 16, XXX, 4, 6, XXXVII, 54;

V) pendet ab eo enuntiatum relativum XIX, 22, XXXIX, 18;

VI) ὅτι XXIII, 95, XXXVI, 28.

Porro tractemus structuras a Demosthenis consuetudine alienas § 25: „εἰκότως δ' αὐτὸ πεπόνθασιν.“ Voemel. vertit: „jure id confitentur“ et recte cum H. Schaefero ad αὐτό supplet ὁμολογεῖν τοῦτο.“ Orator igitur verbum πάσχειν significatione paulo ampliore usurpat: „jure eis accidit, ut inviti confiteantur“. Apud Demosthenem ad hunc usum sola verba XIX, 195: „ὥστε τὸν Φίλιππον παθεῖν τι καὶ δοῦναι“ proxime accedunt (ut Philippus commotus concederet Voem.) Ceterum Demosthenes verbum πάσχειν

I) absolute ponit saepissime, exempli causa in oratione XXI, 20, 23, 30, 43, 45, 46, 70, 72, 118, 137, 187, 220, 226.

II) Cum adverbio vel κακῶς vel εὖ VIII, 65, XX, 41, 57, 62, 83, 119, 159, XXII, 74, XXIV, 182, XXXVI, 14.

III) Cum neutris pronominum et adjectivorum saepissime, annotavi centies sexagies sexies.

IV) bis tantum cum substantivis XXI, 17 (πράγματα αἴσχιστα) et XXIII, 155 (πρᾶγμα τοιοῦτον).

§ 28 οὐ γὰρ δὴ ἔστι γε εἰπεῖν, ὡς Ἀθήνησιν μὲν ἀφθόνων ὄντων τῶν ναυπηγησίμων ξύλων. Satis mire post verbum dicendi ὡς cum genitivis absolutis positum est. Schaeferus „vel verba ὡς τοῦτ' ἡγήσατο post εἰπεῖν homoeoteleuto, ut grammatici dicunt, intercidisse“ vel „post εἰπεῖν tale aliquid ut αἰτήσασθαι subaudiendum esse“ vult. Contra Voemelius in annotatione sua ad hunc locum nihil addendum aut subaudiendum esse recte dicit, sed exempla et ex Platone et ex Xenophonte, affert, ubi ὡς cum gen. absol. post verba dicendi ut post verba sentiendi usurpatum est. Certe Demosthenicus similis locus non legitur.

In eadem paragrapho verba sequuntur διειρημένου μηδὲν τοιοῦτον εἰςδέχεσθαι. Weilius oratorem corrigit et verbum διειρημένου glossema esse dicit, insertum falsa interpunctione. Ipse legit: καὶ πληρώσεσθαι ἐντῷ λιμένι, τῷ προειρημένῳ ἐν ταῖς κοιναῖς ὁμολογίαις, μηδὲν τοιοῦτον εἰςδέχεσθαι.

---

1) Demosthenis orationes contra Aeschinem, Lipsiae 1862, pag. 596 ann. 1.

Reiskius verba delevit „*τῷ προειρημένῳ*" Dindorf. *ἐντῷ λιμένι, τῷ εἰρημένῳ*, et quae sequuntur (ex recensione Aug. 1.) Schaeferus et Bekkerus verba „*ἐν τῷ λιμένι τῷ εἰρημένῳ*" uncis incluserunt, sed Voemelius jure ea defendit, cum superflua non sint. Si igitur cum Dindorfio optimum codicem sequimur, habemus hic genetivum absolutum, cui genitivus subjecti deest; cf. art. Krueg. 47, 4, 3 et exemplum ex oratione, quae est inter Demosthenicas *κατὰ Διονυσοδώρου* § 18 „*προδήλου, ὄντος ὅτι καταγνώσεται*". Apud Demosthenem exemplum nullum investigavi, saepius Xenophon hos genetivos usurpat. Baiterus in Turicensi pro hoc genetivo absoluto voluit accusativum, vel potius nominativum absolutum participii *διειρημένον*, quocum Cobetus[1]) consentit. Atque re vera inveniuntur apud Demosthenem praeter usitata participia absoluta *ὄν, παρόν, ἐξόν, δέον, προσῆκον*[2]) duo similia exempla, quae Bernhardy quoque annotat XXI, 199 (*καταχειροτονηθέν*) et XXIV, 73 (*προςτετιμημένον*).

§ 29 verba legis *οὕτω δὲ κατεγνώκασι μετὰ τούτων ἀδιήγητόν τινα τῆς πόλεως ἔκλυσιν καὶ μαλακίαν*, quae Blassius p. 125 reprehendit. De substantivis jam supra tractavimus, gradatio ut saepius, decrescit. Quod autem ad structuram et translatam significationem verbi *καταγιγνώσκειν* attinet, similiter id saepius Demosthenes quoque usurpat. Weilius locum similem adscribit XXX, 38 addo alios XXI, 51, XXIV, 57, XXIX, 3, LVII, 64 prooem. XXXV (1444) epist. III (1476).

Sed jam satis satisque de verbis eorumque structuris disputavimus. Demonstrasse mihi videor, auctorem hujus orationis et voces apud Demosthenem et ceteros oratores parum usitatas usurpasse et praepositionibus et verbis compositis aliter ac Demosthenem usum esse et structuras raras mirasque scripsisse, ut oratio a Demosthenis genere dicendi, si hanc partem elocutionis respicimus, alienissima videatur esse.

Iam nos vertimus ad

B) Compositionem sententiarum

examinandam. Duae imprimis res sunt, quas recte Demosthenis in componendis sententiis maxime proprias esse Blassius III, 1 pag. 124 et 127 docet, et varietatem et conclusionem (*συστροφή*). Utraque autem in huius orationis sententiis desideratur. Quod ad varietatem attinet, reprehendendum est, quod auctor ejus figura contrapositi (*ἀντίθεσις*) nimis abusus est. Contrapositum ille exprimit:

I) aut collocatione tantum verborum § 27 (ter) 28.

II) per particulas *μέν—δε* § 1, 3, 5, (bis) 7, 8, 9, 10, 12 (bis) 14, 17 (bis) 21 (bis) 23 (bis) 24, 25, 26, 28.

III) per conjunctionem *ἀλλὰ* § 1, 4, 6, 7, 13, 19, 24, 26, 28, 30.

Tricies igitur et ter in triginta paragraphis verba contrarie relata sunt, quacum re Dionys Halic. Dem. c. 21 compara[3]), qui illum laudat, quod in tertia Olynthiaca, ubi res temporis sui cum antiquis componit, non singulas res singulis obicit, sed primum res antiqui tum recentis temporis descripsit, descriptas inter se comparavit. Deinde notanda sunt quattuor epichiremata § 3, 10, 16, 19 et proxx., quae tam similiter formata sunt, ut in ea Ciceronis verba de inventione I, c. 41 § 76 optime cadant[4]). Respondet enim primum epichirema tertio, alterum quarto.

---

1) In Miscellaneis criticis anni 1876, pag. 86.

2) Dequibus confer. Bernhardy, synt. Graec., p. 472 et 73.

3) *Οὐ καθ' ἓν ἔργον ἕκαστον ἀρχαῖον ἔργῳ καινῷ παρατιθείς, οὐδὲ πάντα μικρολογῶν συγκρίνει, ἀλλ' ὅλη ποιούμενος ὅλην τὴν ἀντίθεσιν διεξοδικήν*; cf. Blass. III, 1. p. 139, qui hunc locum annotat.

4) „Variare autem orationem magno opere oportebit; nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater." cf. Volkmann, l. c. p. 155.

A. Propositio.

I) *εἰ δή τις ἐρωτήσειεν ὑμᾶς — ὑβριζομένους εἰς παῖδας καὶ γυναῖκας* § 3 (exemplum).

III) *ἔστι γὰρ γεγραμμένον — ὁρμηθῶσιν* § 16, a (lex foederis).

B. Assumptio.

I) *παρὰ τοὺς ὅρκους τοίνυν — στρατεύεσθαι ἐπ' αὐτὸν ἅπαντας* § 4, 5, 6, a (accedit assumptionis approbatio) (factum).

III) *οὕτω τοίνυν ῥᾳδίως — εἰς Σικυῶνα κατήγαγεν* § 16 b (factum).

C. Conclusio.

I) *οὐκοῦν ἐὰν ποιῶμεν — τῷ καταγαγόντι,* § 6, repetitur § 8, sequitur petitio adversariorum § 9.

III) *οὐκοῦν, εἰ δεῖ πείθεσθαι — διαπεπραγμέναι* § 17, sequitur petitio adversariorum § 18.

A. Propositio.

II) *ἐάν τινες καταλύσωσιν — μετέχουσιν* § 10a (foederis lex).

IV) *ἔστι γὰρ ἐν ταῖς συνθήκαις — μετέχουσιν* § 19 (foederis lex).

B. Assumptio.

II) *σκέψασθε δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, — ἐγκατέστησεν* § 10, b (factum).

IV) *οὐκοῦν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ἑοράκατε — ἐτάξατε Μενεσθέα* § 20 (factum).

C. Conclusio.

II) *ἐκ δὴ τούτων πότερον πειθώμεθα — πεπλουτηκότων;* § 11 (conclusio fit enunciato interrogativo), (verba sequuntur contra Macedonum amicos facta) § 12, 13, 14.

IV) *πῶς οὖν οὐκ ἄτοπον — ὠλιγωρημένοις;* § 21, (conclusio fit enunciato interrogativo). (verba sequuntur contra Macedonum amicos facta) § 22, 23, 24, 25.

Accuratius de his epichirematis, quae non tam ex rhetoricae quam ex logicae artis praeceptis instituta sunt, infra tractabitur. Hic satis est, ea propter summam similitudinem reprehendisse. Etiam in reliquis enunciatis auctor hujus orationis rursus rursusque forma conditionali utitur. Legis § 1 *ἄξιον ἀποδέχεσθαι τῶν διακελευομένων ἐμμένειν εἴπερ αὐτὸ πεπεισμένοι ποιοῦσιν;* § 8 *οὐκοῦν ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμῖν εἴπερ τοῖς ὅρκοις ἐμμενοῦμεν;* § 5 verba sunt *οὐ δὴ δεῖ εἰ μέν τις ὑμᾶς ταῦτα βιάζοιτο, μάλιστα ἀγανακτῆσαι, εἰ δὲ ἑτέρωθί που γέγονε παρὰ τοὺς πρὸς ὑμᾶς ὅρκους μὴ φυλάξασθαι καὶ ἡμῖν μὲν διακελεύεσθαι* et § 17 *εἰ μὲν οὖν δεῖ ἐπικρύπτεσθαι τἀληθῆ, οὐδὲν δεῖ λέγειν ὅτι εἰσὶν αἱ Μακεδονικαί, εἰ δὲ οὐκ ἀνιᾶσιν οἱ καθ' ὑμῶν τῷ Μακεδόνι ὑπηρέται προστάττοντες — — πεισθῶμεν αὐτοῖς — — καὶ — — βουλευσώμεθα* et paulo post § 18 *κἂν μέν τι ᾖ πρὸς τῶν ἐχθρῶν — — τοῦτο μὲν ἰσχυρὸν ποιήσουσιν, ἐὰν δέ τι ἡμέτερον ᾖ — — πρὸς τοῦτο δὲ — οἰήσονται . . .* Praeterea forma conditionalis ter legitur § 3. *εἰ δή τις ἐρωτήσειεν — — εἴ τις ἀναγκάζοι, οἶμαι εἰ ἦσαν* et § 27 et § 30. Quam parum orator in sententiis componendis variet, etiam verba § 26 demonstrant, in quibus quater deinceps articulo „*τό*" usus est: *τὸ μὲν οὖν περὶ τὰ πλοῖα — — τηλικοῦτον παρέβη, τὸδὲ ὑβριστικώτατον — — τὸ πρῴην γεγενημένον ἐστίν, τὸ τολμῆσαι* et quae sequuntur. Deinde in paragrapho proxima eodem modo cum conjunctione *ὅτι* et articulo *τό* pergit: *καὶ τοῦτο οὐχ ὅτι μία τριήρης ἦν μικρὸν ὑποληπτέον, ἀλλ' ὅτι ἀπόπειρα ἐγένετο — — καὶ ὅτι οὐκ ἐφρόντισαν — — ἐπεὶ ὅτι γε τοῦτο παράδυσις ἦν — — κἀκεῖθεν δῆλον, τὸ γὰρ — — αἰτεῖσθαι ναυπηγήσασθαι — —, πῶς οὐ καταφανὲς ποιεῖ, ὅτι ἀντὶ τοῦ εἰςπλεῖν* et quae sequuntur. Quater cum *ὡς* et participio verba eodem modo adicit § 7 *ὡς ἀδικήματος ὄντος τοῦ πολιτεύματος,* § 12 *ὡς καὶ τῆς ἐπιορκίας αὐτοκράτορος ὄντος ἐκείνου* § 23 *ὥσπερ ἐν Ἀβδηρίταις ἢ Μαρωνείταις, ἀλλ' οὐκ ἐν Ἀθηναίοις πολιτευόμενοι* § 24 *ὡς τῷ συμφέροντι προελομένην χρῆσθαι.* Quae exempla cum attulerim, nemo negabit, varietatem in hac oratione valde desiderari.

Transeamus igitur ad complexionem, quam Hermogenes *περὶ ἰδεῶν* pag. 394 (ed. Spengel)[1]) imprimis admirandae Demosthenis artis dicendi propriam esse significavit. Hic autem orator singula enunciata magis laxe inter se connectit quam arte complectitur. Paucae periodi, quae paulo longiore circuitu in oratione nostra exstant, propter hanc causam jure reprehenduntur.

§ 3 *εἰ δή τις ἐρωτήσειεν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐπὶ τίνι ἂν μάλιστ' ἀγανακτήσαιτ', εἴ τις ἀναγκάζοι, οἶμαι, εἰ ἦσαν κατὰ τὸν νυνὶ χρόνον οἱ Πισιστρατίδαι, καί τις ἐβιάζετο κατάγειν αὐτοὺς δευρί* et quae sequuntur. Sic enim cum Σ sine dubio legendum est, id quod Turic. fecerunt, Weilius jure defendit. Nam causa non est, cur homines docti et Wolfius et Reiskius et H. Schaeferus de hoc loco dubitaverint aut Dindorfius verba vulg. *ἀγανακτήσαιτε, εἴποιτ' ἂν οἶμαι πάντες, εἴτις ἀναγκάζοι*“ permutaverit et ita collocaverit: „*ἀγανακτήσαιτε, εἴποιτ' ἄν πάντες, εἴ τις ἀναγκάζοι. Οἶμαι δὲ*“; aut Voemelius, qui lectionem cod. Σ sequitur, post *οἶμαι* punctum posuerit. „Abrupte, inquit, respondet recto sermone sibi ipse orator.“ Sed recte Weilius ei opponit verba *εἴτις ἀναγκάζοι*“ non fore Atheniensium responsum. Equidem censeo, omnia bene quadrare, si statuimus, verba ita legenda, ut Σ habet, et vertenda esse: „jam si quis interrogaret, Athenienses, ob quam rem gravissime indignaremini, si quis cogeret, opinor, si hoc tempore viverent Pisistratidae et aliquis cogeret, eos reducere, nos armis captis omne periculum potius subituros, quam illos recepturos esse.“ His verbis deinde particula tantum copulativa ea, quae sequuntur, laxe annectuntur: *καὶ τοσούτῳ μᾶλλον, ὅσῳ τὸν μὲν οἰκέτην οὐδεὶς ἑκὼν ἂν ἀποκτείνειεν, τοὺς δὲ τυραννουμένους ἀκρίτους ἔστιν ὁρᾶν ἅμα καὶ ὑβριζομένους εἰς παῖδας καὶ γυναῖκας.* Eodem modo verba § 16 composita sunt: „*οὕτω τοίνυν ῥαδίως τὰ ὅπλα ἐπήνεγκεν ὁ Μακεδὼν — — τοσούτῳ καὶ νῦν μᾶλλον ἢ πρότερον ὅσῳ* et quae sequuntur et verba § 25 *ἕως γὰρ ἂν ἐξῇ — — εἶναι κυρίοις τοῖς γε κατὰ γῆν — — εὑρέσθαι, ἄλλως τε καὶ πεπαυμένων ὑπὸ τῆς τύχης τῶν δορυφορουμένων ὑπὸ τῶν τυραννικῶν στρατοπέδων καὶ τῶν μὲν ἐφθαρμένων τῶν δὲ ἐξεληλεγμένων οὐδενὸς ἀξίων ὄντων,* ubi alterum *καὶ* alterum excipiat. Laxe alterum quoque membrum *οὐδένα δὲ οἴονται αἰσθήσεσθαι — — τῶν πολιτειῶν καταλυομένων* alteri § 14 adjectum est. Quid? haec enunciata nonne apta conclusione carent? Non melius tres illae sententiae relativae deinceps positae se habent: § 15 *οἱ δὲ τοσούτου δέουσι τούτων τι κωλύειν ὥστε καὶ συγκατασκευάζουσιν, οὓς πῶς οὐ προσήκει ἀπολωλέναι; οἳ τηλικαύτας συμφορὰς παρασκευάζουσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἃς διὰ τὸ μέγεθος αὐτοῖς τοσούτοις οὖσι μὴ περιορᾶν ἐπέταξαν.* Hac ex re unam tantum periodum laudare possumus primam § 1 et 2, ubi constructio concinna est et verbis *μηκέτι μέλλοντες* bene orbem conficit.

Altera paulo majore circuitu sententia § 14 obscuritate quadam verborum insignis est. Verba *κελεύω δ' ἔγωγε, καθάπερ ἐν ἀρχῇ προεῖπον, πείθεσθαι τούτοις τοῖς φάσκουσι, δεῖν ἐν ταῖς κοιναῖς ὁμολογίαις ἐμμένειν, εἰ μὴ ἐκεῖνο νομίζουσιν, ὅταν μὲν λέγωσιν ὡς ἐμμενετέον τοῖς ὅρκοις, οὐ λέγειν αὐτούς* (cum Dobraeo) *τό μηδένα* (conjectura Wolfii) *ἀδικεῖσθαι,* quae bene Reiskius explicat: „hactenus ajo necessitatem in pactis perseverandi inculcantibus obsecundandum esse, quatenus eam urgentes non capitose loquuntur, hoc est excludunt a cogitationibus suis eam pactorum clausulam, quae vetat ulli injuriam ullam offerri“, jam per se non liquent neque facile intelliguntur; obscuriora autem et impeditiora fiunt iisdem verbis repetitis *δεῖ ἐμμένειν — ὡς ἐμμενετέον; ὅταν μὲν λέγωσιν — οὐ λέγειν.* De verbis *οὐδένα δὲ οἴονται* sine ulla complexione additis jam supra diximus, ut jure Schaeferus constructionem parum concinnam esse judicaverit.

Verba epilogi „*καὶ γὰρ ἔτι προςγέγραπται ταῖς συνθήκαις, ἐὰν βουλώμεθα τῆς κοινῆς εἰρήνης μετέχειν· τὸ δ' „ἐὰν βουλώμεθα“ ἐστὶν ἅμα καὶ τοὐναντίον· εἰ ἄρα ποτὲ δεῖ παύσασθαι αἰσχρῶς*

1) *Μάλιστα δὲ τῆς ἰδέας ταύτης* (i. e. *δεινότητος*) *καὶ τὸ κατὰ συστροφὴν σχῆμα οἰκεῖον.* cf. Blass. III 1. p. 127.

ἑτέροις ἀκολουθοῦντας, ἀλλὰ μηδ' ἀναμνησθῆναι et quae sequuntur" interpretes vehementer exercuerunt cf. Voem. et Dind. et Weil. ad hunc locum. Primum enim, nescio quo modo, et Reiskius et H. Schaeferus et, si recte eum intellexi, Voemelius quoque dubitaverunt, quid illud „contrarium" sit? Jure Weilius, qui bene sententiam explicat, miratur, quod hoc contrarium ab interpretibus parum intellectum est. Unusquisque Atheniensium, qui res ab oratore allatas attente audiverat, sua sponte verbis *„ἐὰν βουλώμεθα"* opponebat *„οὐ βουλόμεθα"*. Deinde homines docti recte haeserunt in verbis, quae sequuntur: *εἰ ἄρα ποτὲ δεῖ παύσασθαι, ἀλλὰ μηδ' ἀναμνησθῆναι μηδεμίας φιλοτιμίας*, imprimis in illa negatione *μηδέ*. Weilius locum ita sanare studet, ut scribat: *ἢ ἄρ' οὔποτε δεῖ;* quae conjectura, quamquam et ad verba codicum proxime accedit neque cum sententia, quam orator exprimere vult, pugnat, tamen accipienda esse mihi non videtur, quod cum Sauppio censeo, *„οὔποτε"* pro *„οὐδέποτε"* ab oratoribus non usurpatum esse. Itaque Sauppius, vir doctissimus, in „oratoribus Atticis" ad hunc locum putavit, post verbum *δεῖ* negationem *μὴ* interponendam esse, quae propter *δεῖ*, quod antecedit, facile intercidere potuit. Quam conjecturam et Voemelius et Dindorfius receperunt, Sauppius ipse, id quod scio, non jam probat. Perspexit enim, si *μὴ* interseratur, a verbo *παύσασθαι* et participium *ἀκολουθοῦντας* et infinitivum *ἀναμνησθῆναι* pendere et recte judicavit, hanc structuram apud oratores ferri non posse. Quamobrem Voemelius et Dindorfius, qui *μὴ* receperunt, infinitivum *ἀναμνησθῆναι* pendere voluerunt non a verbo *παύσασθαι* sed a verbo *δεῖ* et ille vertit p. 886: „si forte aliquando necessarium est, — deest perpetuo (*μὴ παύσασθαι*) — aliorum ductum turpiter sequi, sed ne recordari quidem" — et quae sequuntur. Iam supra indicavi „irrisionem apertam", quam Voemelius in verbis inesse vult, non inesse; immo vero hoc enunciato orator exponere mihi videtur, cur Athenienses foederis non jam participes esse velint. Quam rem auctor orationis obscuro suo et quasi velato modo dicendi. quem per totam orationem usurpatum esse, infra demonstrabimus, ita exprimit: nolumus, si forte aliquando necessarium est, desinere ductum aliorum turpiter sequi, sed non (necessarium est) immemores esse (*ἀναμνησθῆναι μηδεμιᾶς*) veteris gloriae. Itaque tantum pro *μηδ'*, quod libri habent, scribendum est *μή*, quam negationem si arte cum *ἀλλὰ* jungimus, duae illae negationes *μὴ-μηδεμιᾶς* non durius sejunguntur. Hoc modo Sauppius ipse, nisi fallor, nunc locum interpretatur. Apparet igitur, ne compositionem quidem Demosthenicam artem prae se ferre.

Neque aliter censebimus, si postremo

C) Figuras ornatumque orationis

in quaestionem vocaverimus. Jam scholiastes sensit, quam languida oratio esset. Dicit enim 254, 12 Dd. *τοῦ πολιτικοῦ λόγου καὶ γοργότης καὶ τραχύτης καὶ τὰ τμητικά, ἐν τούτῳ δὲ πολὺ τὸ ἀναβεβλημένον. εἶτα οὐδὲ τὸ πνεῦμα φαμὲν Δημοσθενικόν, ἀλλ' ἀσθενὲς καὶ ἄτονον καὶ ἀτελές.*

Figurae enim et verborum et sententiarum, quae orationi vigorem et alacritatem addunt, eisque Demosthenes prae ceteris oratoribus excellit, cf. Dionys. de Thucyd. pag. 53; Blass. III, 1, pag. 144 proxx., fere omnino in hac oratione desunt.

Inveniuntur haec verborum figurae: annominatio, quae hodie alliteratio dicitur (*παρήχησις* vel *παρονομασία*) est: § 7 *ὡς ἀδικήματος ὄντος τοῦ πολιτεύματος* et 24 *διακελευόμενοι τὸ δίκαιον οὐ δικαίως διαφυλάττειν*, quos locos Blassius annotavit, addere potuit § 23 *καταφρονεῖν ὑμᾶς ὑμῶν αὐτῶν* cf Demosth. XXIII, 107 et § 25 hujus orationis *προβολὰς ἑτέρας ἰσχυροτέρας εὑρέσθαι.* Deinde una repetitio (*ἀναφορά*) legitur § 29 *οὕτω ἐκεῖνοι χρῶνται* et *οὕτω κατεγνώκασιν.* Alias usitatissimas apud Demosthenem figuras verborum, imprimis dissolutionem (*ἀσύνδετον*) frustra apud auctorem hujus orationis quaeris.

Contra similiter cadentia verba (*ὁμοιόπτωτα*) et similiter desinentia (*ὁμοιοτέλευτα*) quae Demosthenes vitat, Isocrates cum amore quodam usurpat. cf. Rehdantz. in indice I sub *ὁμοιοτέλευτον* et Blass. III, 1. p. 138, in hac oratione non tam rara sunt: „§ 1 *δεῖ τοίνυν τοὺς λίαν ἐπ' αὐτὸ παρακαλοῦτας μὴ τῷ μὲν λόγῳ καταχρωμένους ἐνοχλεῖν πάντα δὲ μᾶλλον πράττειν* et paulo post *ἵν — — ἀδικούμενοι ἀνέχησθε καὶ — χαρίζησθε* et § 3 *τοὺς δὲ τυραννουμένους ἀκρίτους ἐστὶν ὁρᾶν ἀπολλυμένους ἅμα καὶ ὑβριζομένους εἰς παῖδας καὶ γυναῖκας;* et § 9 *τὸν μὲν καιρόν ποτ' ἰσχύειν καὶ ἄνευ τοῦ δικαίου τὸ συμφέρον πράττειν;* et § 13 *ἐκκλησιάζοντας καὶ νομίζοντας τὴν παραυτίκα ἡσυχίαν οὐκ ἔσεσθαι ποτ' αἰτίαν;* et § 25 *ἄλλως τε καὶ πεπαυμένων ὑπὸ τῆς τύχης τῶν δορυφορουμένων ὑπὸ τῶν τυραννικῶν στρατοπέδων καί τῶν μὲν ἐφθαρμένων τῶν δὲ ἐξεληλεγμένων οὐδενὸς ἀξίων ὄντων*, cf. de his genitivis coacervatis Volkmann. l. c. pag. 440. Postremo loco accedit gradatio decrescens.

Sententiarum figurarum, in quibus potissimum summam Demosthenis vim dicendi positam fuisse, Cicero in Oratore § 136 affirmat, duas tantum auctor hujus orationis usurpat, interdum interrogationes, quas vocant rhetoricas, ut § 18; uno loco Blassius subjectionem (*ὑποφοράν*) § 7 statuit: „*ἀλλὰ γὰρ εἴποιεν ἂν οἱ τυραννίζοντες*, sed ipse dicit, eam parum vividam esse.

Jam quaerimus, num in aliis rebus, quae Demosthenici generis dicendi maxime propriae sunt, orator cum illo consentiat. Primum dico usum illum magni oratoris, quem jam Dionys. Halic. in libro suo: „*περὶ δεινότητος Δημοσθένους*“ c. 58 perspexit, accuratius deinde tractaverunt Blassius III, 1 pag. 93 et Doberenzius [1]) et Rehdantzius [2]) et Siggius [3]), ut verba imprimis dicendi et sentiendi sed alia quoque, et substantiva et adjectiva, aliis ejusdem fere sententiae additis exornet et amplificet. Blassius, ut hanc Demosthenis consuetudinem exemplo demonstret, locum prooemii Midianae § 2 affert, libet alterum locum ascribere ex oratione de Chersoneso § 46. Si verba, qualia sunt *ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*, § 1 et saepius et *ἴσον καὶ δίκαιον* § 1 et *αὐτόνομος καὶ ἐλεύθερος* § 8, cum semper etiam apud alios scriptores inter se conjuncta sint, in ratione non ducimus, restant in oratione, quam tractamus, quattuor tantum loci § 17 *δεσποτικῶς καὶ ἀσελγῶς* § 21 *τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα* § 26 *τὸ δὲ ὑβριστικώτατον καὶ ὑπεροπτικώτατον* § 29 *ἔκλυσις καὶ μαλακία.* Qui numerus satis parvus nobis videtur considerantibus in prima Olynthiaca, quae pauciores paragraphos continet, sedecim tales verborum amplificationes reperiri.

Deinde orationem ad duas quaestiones exigimus, quae a Benselero et Blassio institutae aliquid valent ad dijudicandum, utrum oratio Demosthenis sit, necne. Ille enim in libro suo [4]) ex loco, quem in Ciceronis oratore c. 44 legit [5]), profectus, singulis orationibus examinatis, demonstravit, oratorem in orationibus publicis accuratius etiam, quam in privatis hiatum evitasse; qua re effici, ut eae orationes, in quibus multi tales loci exstarent, oratori abjundicandae essent. Quarum in numero etiam hanc orationem suo jure rettulit, nam Blassius circa quinquaginta tres graviores tales concursiones in ea numeravit; equidem commemoro tantum in § 17 quinque illas graves *ἔκσπονδοι ἡμῖν, αὗται αἱ, δεῖ ἐπικρύπτεσθαι, Μακεδόνι ὑπηρέται, κελεύει ὁ ὅρκος.*

Alteram legem, quam appellat rhythmicam, a Demosthene accurate observatam Blassius

1) In programmate Hildburghusensi anni 1844 exc. 1—3.

2) In indice I sub: „Erweiterung“.

3) In ann. phil. suppl. VI, 418 (de orationibus privatis).

4) „De hiatu in oratoribus Atticis et historicis Graecis“, Freibergae 1841 et in programmate „de hiatu in Demosthenis orationibus“, Freibergae 1848.

5) „Ut in legendo oculus sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas“ et paulo post § 151 „quam concursionem magna ex parte ut vitiosam fugit Demosthenes“.

in libro suo III, 1 pag. 99 proxx. exponit. Ex hac anxie orator cavit, ne plus quam duae breves syllabae deinceps sequantur. Ne ex hac quidem lege oratio nostra composita est. Legimus statim in primis verbis exordii § 1 *ἄξιον ἀποδέχεσθαι, περὶ τὸ ἴσον, ἀληθέστερα περί, ἑκόντες ἀδικούμενοι*, § 2 *προελόμενοι*. Eodem modo tota oratio talibus locis squalet.

Restat ut de verborum inopia, qua oratio maxime laborat, nonnulla proferamus. Blassius tantum annotat, verbum *χρῆσθαι* cum amore quodam ab oratore positum esse. Legitur vel simplex vel compositum duodecies § 1, § 2, § 4, § 6, § 11, § 13, § 17, § 23, § 24, § 29 (bis) § 30. Eodem autem modo per totam orationem orator vocabula et structuras repetit, nusquam variat. Hoc neminem fugit, qui attente orationem perlegit. Sed ut melius perspiciatur, quanta et quam molesta verborum inopia sit, singula exempla afferre volumus. Graviora sunt praeter verbum *χρῆσθαι*: § 1 leguntur verba *τῶν τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένειν διακελευομένων*, eadem § 5, § 8 *εἴπερ τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμενοῦμεν*, § 12 *εἰ μὲν τοῖς παραβεβασμένοις ἐμμένειν ὑμῖν διακελεύονται*, § 14 (bis) *δεῖν ἐν ταῖς κοιναῖς ὁμολογίαις ἐμμένειν* et *λέγωσιν ὡς ἐμμενετέον τοῖς ὅρκοις*. Verbum *διακελεύεσθαι* quinquies, plerumque in eadem dicendi formula ponitur: § 1, 5, 12, 24, 30. Totidem *πείθεσθαι*: § 11, 14, 17 (bis) 30.

Formula copulativa *ἅμα — καί* novies utitur: § 4, 9 (bis) 18, 22, 24, 28, 30 (bis).

Verba *καθάπερ ἄρτι εἶπον* eodem, sive simili modo sexies leguntur: § 8, 14, 17 (bis) 30 (bis).

Verbum *παραβαίνειν* legis § 2, 8, 12, 19, 21, 22 (bis) 26, 30. Quid ni variat orator?

Verba § 6 *καὶ γὰρ ἔτι προςγέγραπται* repetuntur § 30 similiter 10, 16, 21.

Verbum *βιάζεσθαι* ponit § 3, 5, 12, 23. Verbum *κατάγειν* § 4, 6, 7, 8 (*ἄγειν*) 16, 19 usurpat.

Τὸ δίκαιον decies et septies commemoratur § 1, (bis) 2, 4, 6, 8, 9 (bis) 10, 17, 18 (bis) 22 (*δικαίως*) (bis) 23, 24, 30.

Leviora exempla sunt § 1 *ὑπομείναντας τὸν ἐξετασμόν* cf. § 3 *πάντα κίνδυνον ὑπομεῖναι*; § 1 *ἐπ' αὐτὸ παρακαλοῦντας*, cf. § 8 *ἐφ' ἃ ὑμᾶς παρακαλοῦσιν*; § 3 *μάλιστ' ἀγανακτῆσαι* cf. eadem verba § 5; § 4 *βραχὺ φροντίσας ὑμῶν* cf. § 26 *ὅτι οὐκ ἐφρόντισαν*; § 7 *ὑπαρχούσης* cf. § 25 *ὑπαρχούσῃ* cf. § 30 *ὑπαρχουσῶν*; § 7 *καταγέλαστος* cf. § 15 et 17 *καταγελᾶν*; § 8 *διαπεπρᾶχθαι* cf. § 17 *διαπεπραγμέναι*; § 8 *ὑπεράτοπον* cf. 21 *ἄτοπον*; § 8 *τἀναντία ταῖς κοιναῖς ὁμολογίαις* cf. § 13 *τἀναντία τοῖς τῇ πατρίδι συμφέρουσιν*; § 11 *οὐ γὰρ δὴ λέληθέ γε αὐτούς* cf. § 24 *ἅμα δὲ λανθάνουσιν* cf. § 28 *οὐ γὰρ δὴ ἔστι γε*; § 12 *δορυφορούμενοι τοῖς τοῦ τυράννου στρατοπέδοις* cf. § 25 *πεπαυμένων ὑπὸ τῆς τύχης τῶν δορυφορουμένων ὑπὸ τῶν τυραννικῶν στρατοπέδων*; § 13 *νομίζοντας* paulo post § 14 *νομίζουσιν*; § 15 *κοινωνούσαις πόλεσιν* cf. § 16 *πόλεων τῶν κοινωνουσῶν* et paulo post praepositionem ter repetitam *ὅπλα ἐπιφέρειν ἐπὶ πολέμῳ ἐπὶ μηδεμίαν πόλιν*; § 15 *συγκατασκευάζουσιν* cf. in eadem paragrapho *παρασκευάζουσιν*; § 18 *ἰσχυρὸν ποιήσουσιν* cf. § 24 *ἰσχυρὰ ποιοῦσιν* et § 25 *ἰσχυροτέρας προβολάς*; § 2 *ἀνεγκλήτως* § 22 et § 30 repetitur; § 23 *ὃ δὲ ὑβριστικώτατον* cf. § 26 *τὸ δὲ ὑβριστικώτατον*; § 23 *ἀπολαύει προαιρουμένη* cf. § 24 *προελομένην χρῆσθαι*; § 26 *προειρημένοις* cf. § 28 *εἰρημένῳ* et in eadem paragrapho *διειρημένον*; § 30 *ἐὰν οὖν κελεύητε* et paulo post *αἱ συνθῆκαι κελεύουσιν*.

Quoniam haec de orationis cultu disputavimus, vix expressis verbis de affectibus concitatis (*πάθος*) ejus judicari necesse est; de affectibus compositis (*ἦθος*) infra disseremus.

Caput alterum.

Ita prima questionis parte ad finem perducta demonstravimus, nullo modo Demostheni, oratorum principi, hanc orationem tribui posse. Altero loco quaerimus, num aequalis ejus auctor orationis fuerit. Veteres critici eam vel Hegesippo vel Hyperidi attribuerunt, cf. Libanii

Hypothesin: „*τῷ Ὑπερείδου χαρακτῆρι μᾶλλον προσχωρεῖ τά τε ἄλλα καὶ λέξεις τινὰς ἔχει κατ᾽ ἐκεῖνον μᾶλλον εἰρημένας ἢ τὸν Δημοσθένην*“ et schol. pag. 254 (Ddf.): „*τινὲς Ὑπερείδου λέγουσιν εἶναι τὸν λόγον*“ et „*ἀμφοτέρους τούτους* (VII et XVII) *ἀναφέρουσιν εἰς Ἡγήσιππον.*“ De Hegesippo jure cogitari non posse manifestum est, si ea, quae supra de hujus orationis elocutione disputata sunt, comparamus cum Blassii de Hegesippi genere dicendi III, 1, pag. 117 et proxx. judicio et addimus Dionys. Demosth. c. 13 verba, quae de oratione: „*περὶ τῶν ἐν Ἀλοννήσῳ*“ facit: „*καὶ τὸν Λυσιακὸν χαρακτῆρα ἐκμέμακται εἰς ὄνυχα*“ et de hac oratione eodem loco cap. 57: „*φορτικαὶ καὶ ἄγροικοι κατασκευαί*“. Recte Weilius quoque de Hegesippi oratione pag. 240 judicat: „Le contraste est frappant entre les phrases unies, simples, claires, un peu faibles, de cette harangue, et la puissante complication des périodes où respire la passion concentrée du grand orateur“. Veteres critici ad sententiam suam plerumque similitudine quadam dispositionis perducti sunt; Hegesippus enim ex singulis Philippi epistulae rebus eodem modo orditur, atque hic orator ex foederis legibus et singulas partes semper verbis „*περὶ δέ*“ inter se conjungit. Contra in rebus et argumentis, quibus utitur, Hegesippus oratorem plane alium, atque hic se praebet. Neque Hyperidem auctorem hujus orationis esse A. Schaeferus III, 1, 192 indicavit, cum diceret, ingenium et alacritatem Hyperidis huic oratori omnino deesse.[1]) Accedit quod et elocutio Hyperidis, nisi delectum verborum excipis, quo ille non tam insignis erat, — cf. Dion. Demosth. cap. 6 — et argumentatio cum hac oratione discrepant. De Lycurgo jure nemo neque veteribus neque his temporibus cogitavit. Inter quindecim ejus orationes, quae commemorantur, nulla contio exstabat, nisi quis primam in Lycophronem orationem apud populum habitam esse censet cf. Blass. l. c. pag. 84 et annot.; atque si respicimus summos Lycurgi affectus et concitatos (*πάθος*) et compositos (*ἦθος*), ejus genus dicendi hac oratione alienissimum est. Idem concludere possumus ex parvis sed argute compositis fragmentis Polyeucti Sphettii in Orat. Attic. II, pag. 273 et 274. Vidimus igitur orationem neque Demostheni neque aequali, cujus vel orationes vel fragmenta exstant, ascribi posse atque eam ab genere dicendi non solum Demosthenis sed etiam reliquorum oratorum hujus temporis, qui quidem a Demosthenis partibus stabant, valde recedere.

Caput tertium.

Sed ut accuratius, quis fuerit auctor, dijudicare possimus, prius de tempore et argumentis orationis disputandum est. Duae sententiae hominum doctorum inter se pugnant. Scholiasta § 4 l. c. dicit eam habitam esse primis Alexandri temporibus[2]). Quam sententiam Boehnekius[3]) secutus: „oratio, inquit, necessarie habita est post pacta ab Alexandro Graecis concessa et ante Thebarum excidium. Eam habitam esse ante Alexandri in Asiam expeditionem et ante Thebas dirutas inde sequitur, quod in oratione ipsa nulla harum rerum mentio injecta est. Immo Alexander in Europa adesse cogitatur. Deinde Thebis dirutis et Alexandro in Asia bella gerente Athenienses quieti erant neque amplius res novas moliebantur; eos tunc talibus orationibus aures praebuisse, veri dissimile est; plurima, propter quae orator Macedones accusat, exeunte hieme anni tricessimi sexti et ineunte vere anni tricesimi quinti facta esse videntur et oratio ipsa habita est, dum Alexander adversus finitimas Macedoniae gentes barbaras belli gerebat.“ Idem tempus Reiskius[4]) et Grotius[5]) et Spengelius[6]), causis ex argumento orationis promptis com-

1) Confer quoque *περὶ ὕψους* cap. 34 et Blassium III, 1 pag. 42.

2) *Ὁ μὲν γὰρ εἴρηται ἐν ἀρχῇ τῆς κατὰ Ἀλέξανδρον καταστάσεως.*

3) In Quaestionibus suis de Atticis oratoribus I. 628.

4) In translatione sua I, 353n, 368n.

5) In historia sua Graeca VI, pag. 430 (ex Hoepfneri translatione).

6) In „Contionibus Demosthenis“ cf. act. acad. bavar. volumen IX (1861) II pag. 315.

motus, et Weilius[1]) probaverunt. Contra G. Droysen.[2]) tempus posterius proponit, aestatem anni tricesimi tertii, cum Alexander jam in Asia versatus est, et classis Persarum prope oras Graecas vagans Athenienses summa spe libertatis implevit. Accuratius etiam A. Schaeferus[3]) quaestionem tractavit, cum Droyseni sententiam probaret, nisi quod orationem ad rebellionem ab Agide Spartiatarum rege contra Macedones factam refert et paulo post anno tricesimo habitam esse vult. St. Croix[4]) statuit annum tricesimum quartum, quod ex orationis verbis (§ 20) Tenedus, insula, adhuc in Macedonum potestate est. A. G. Becker[5]) ad multo posterius tempus progreditur, cum anno trecentesimo vicesimo quarto Alexandri jussu exules in urbes Graecas redierunt. Postremo Blassius[6]) quaestionem denuo attigit atque Boehnekii sententiam defendit. Res igitur non liquet. Quastio est difficillima et maxime impedita, quod neque facta, quorum in oratione mentio injicitur ab aliis scriptoribus rerum commemorantur et orator in oratione tecta et quasi timida parum dilucide, quae tempora fuerint, exponit. Accuratius igitur, quam adhuc factum est, res, quas orator ennarrat, conjungi et conferri oportet cum aliis, quae pro certis ab ceteris scriptoribus rerum vel inscriptionibus memoriae traditae sunt. Deinde temporis ita definiti conditio, omnium, quae in oratione sunt, ansarum, quam diligentissime ratione habita, cum ea comparanda est, quae ex oratione apparet. Hac via inita persuasum mihi est, fore ut non solum de tempore sed etiam de auctore orationis certius aliquid decernere possimus.

Primum Alexander ex verbis § 4 filios Philiadae Messenam reduxit. Apud Demosthenem in oratione de corona § 295 nomina eorum *Νέων καὶ Θρασύλοχος* leguntur, qui in numero eorum referuntur, qui patriam in servitutem redegerunt[7]); Polybius XVII, 14, eos defendit contra Demosthenis opprobria, eos dicens nihil avare et crudeliter fecisse, intellexisse, non idem urbibus suis expedire atque Atheniensium rei publicae. Haec omnia sunt, quae de iis nobis traduntur. Facile, id quod Plassius fecit, conjicere possumus, filios, qui patri in dominatione successerant, tum expulsos esse, cum Philippus interfectus est. Sed quando reducti sunt? Blassio, qui l. c. pag. 122 affert, omnia, quae traduntur, constitui posse vel anno tricesimo quinto vel ante eum annum, statuendum est, illos ab Alexandro reductos esse exeunte anno tricesimo sexto, cum primum in Graeciam venit, foedusque Corinthiacum renovavit, cf. Diodorum XVII, 4. Legentibus autem nobis Alexandrum, qui illo tempore duplici et summo periculo circumventus erat, cum et Attalus, qui exercitui in Asia minore praeerat, descivisset, et finitimae gentes, Thraces, Illyrii, aliae Macedonibus bellum illaturae essent, — cf. Droys. hist. I, pag. 105 — tam anxie Graecis pepercisse, ut ne Spartiatas quidem recusantes, quominus foederis participes fierent, armis cogeret, — cf. Arrian. 1, 1, 3, —, vix credibile esse videtur, eundem in aliis Peloponnesiacis rebus publicis tyrannis reductis formisque civitatum mutatis cives in se instigasse. Neque ullae res harum similes hoc anno a scriptoribus afferuntur, ut verba Grotii l. c. pag. 430: „sibi videri intra novem menses post foedus initum et Alexandrum et praefectos regios singulas civitates et armis et legationibus coëgisse, se ad Macedonum foedus applicare et statum rerum publicarum commutasse,“ non tam rebus, quales tum erant, respondere, quam summo clari illius

1) L. c. pag. 464 et 465.
2) In historia Alexandri pag. 242 et 272. annot. 1.
3) In libri sui vol. III, pag. 191.
4) Examen critique des histoires d'Alexandre, pag. 308; 3.
5) Demosthenes, pag. 264.
6) In libri sui vol. III, 1 pag. 122.
7) Cf. Plassium de tyrannis Graecis II, pag. 108.

rerum scriptoris in Athenienses favore dicta videantur esse. Aliter res se habet, si cum A. Schaefero pag. 124 statuimus, tyrannos in altera expeditione post Thebas dirutas autumno anno tricesimi quinti reductos esse. Tum causa non erat, cur Alexander tam caute se gereret; Attalus necatus, gentes finitimae subactae erant. Atque re vera hoc tempore simillima facta Arrianus tradit I, 10, 1: *„ἐς δὲ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, ὡς ἐξηγγέλθη τῶν Θηβαίων τὸ πάθος, Ἀρκάδες μὲν ὅσοι βοηθήσοντες Θηβαίοις ἀπὸ τῆς οἰκείας ὡρμήθησαν, θάνατον κατεψηφίσαντο τῶν ἐπαράντων σφᾶς ἐς τὴν βοήθειαν· Ἠλεῖοι δὲ τοὺς φυγάδας σφῶν κατεδέξαντο, ὅτι ἐπιτήδειοι Ἀλεξάνδρῳ ἦσαν· Αἰτωλοὶ δὲ πρεσβείας σφῶν κατὰ ἔθνη πέμψαντες ξυγγνώμης τυχεῖν ἐδέοντο, ὅτι καὶ αὐτοί τι πρὸς τὰ παρὰ τῶν Θηβαίων ἀπαγγελθέντα ἐνεωτέρισαν.“* Hoc in tempus optime haec orationis res quadrat.

Certiora etiam de altera re, quam § 17 orator commemorat, de tyrannis ab Alexandro Antissa et Ereso, ex urbibus Lesbiacis, expulsis profere possumus. Duabus enim inscriptionibus Lesbiacis, quas Sauppius, vir doctissimus, tractavit[1]), Droysen. ex A. Kirchhoffii recensione repetivit[2]), hac de re certiores facti sumus. Alexander Conzius in itinere suo Graeco, Eresi marmor magnum in tribus lateribus inscriptum, reppererat, quod Sauppius l. c. accuratius describit atque legit. Hic ascribo versus 1—15 partis anticae (ex Sauppii recensione) pag. 9.

. . . . πο] λ[ι]ορκηθέ[ντας
. . . . . ἐν τ[ᾶ]πόλι πωνοινομο . . σε καὶ τοὶ[ς πο-
λίται]ς δισμυρίοις στατῆρας εἰςέπραξ[ε· καὶ
τοὶ]ς Ἕλλανας ἐλαΐζε[το] καὶ τοὶςβώμοις [κατέ-
σκ] αψε τῶ Δίος τῶ Φιλιππίω καὶ πόλεμον ἔξε[ιν
φ]άμενος πρὸς Ἀλέξανδρον καὶ τοὶς Ἕλλανας
τοὶς μὲν πολίταις παρελόμενος τὰ ὅπλα ἐξε-
κλαίσε ἐκ τᾶς πόλιος πανδάμι, ταὶς δὲ γυνα[ῖ-
κας καὶ ταὶς θυγατέρας συ[λλ]άβων καὶ ἔρξα[ις
ἐν τᾶ ἀκροπόλι τριςχιλ[ί]οις καὶ διακοσίω[ις
στατῆρας εἰςέπραξε, τὰν δὲ πόλιν καὶ τὰ ἶρ[α
διαρπάσαις μετὰ τ[ῶ]ν [λα]ϊστᾶν ἐνέπρησε κα[ὶ
σ[υ]γκατέκαυσε σώματα [τῶν] πολιτᾶν καὶ τὸ τ[ε-
λευταῖον ἀφικόμενος πρὸς Ἀλέξανδρον κατ[ε-
ψεύδετο καὶ διέβαλλε τοὶς πολίταις· κρῖνα[ι

Agitur in hoc titulo partis anticae de Agonippo tyranno, cujus nomen infra v. 18 affertur, qui milites mercennarios ab Alexandro missos (cf. similia apud Arrianum II, 1, 4) obsidione cinctos, a Memnone, ut bene Sauppius suspicatus est, anno tricesimo tertio adjutus, oppressit. Deinde aras, quas Eresii grato animo Philippo, Macedonum regi, qui eos in tyrannis expellendis adjuverat, posuerant (cf. Arrian. I, 17, 11) evertit, bellum cum Alexandro et Graecis gessit, multa alia, quae supra commemorata sunt, facinora perpetravit. Sed cum anno proximo ab Hegesilocho urbs recepta est, Agonippus cum ceteris captis tyrannis ad Alexandrum in Aegyptum deductus est, cf. Arrian. III, 2, 5. Hic plerosque tyrannos urbibus suis puniendos remisit, cf. Arrian. III, 2, 7. Inter hos Agonippus quoque erat, nam in versibus 15—30 accepimus, causam ejus ad capitis judicium vocatam esse: quod judices judicaverunt, v. 30—32 traditur. Si recte haec a Sauppio disputata sunt, quo cum Droysen. quod ad Agonippum attinet l. c. con-

1) In commentatione sua programmati Georgiae Augustae (1870) addita.
2) In appendice altero historiae Alexandri imperatorum, qui *διάδοχοι* vocantur, pag. 363.

sentit, sequitur hanc orationem ante annum tricesimum alterum habitam non esse. Sed res plane non expedita est. Nam in latere postico ejusdem lapidis alter titulus est, quem Sauppius l. c. pag. 10 posuit, ubi v. 9 ejusdem tyranni Agonippi causa iterum commemoratur, sed conjuncta cum altero tyranno, cujus nomen „Erysilaum“ Sauppius in versu decimo quarto et quinto restituit. Hi sunt versus:

Ἐπειδὴ καὶ [τῶ
10 *δάμω]ὁ βασίλευς Ἀλέξανδρος διαγράφαν ἀπο[σ*
τέ]λλαις π[ροσέτ]αξε [Ἐρε]σίοις κρῖναι ὑπέρ τε
Ἀγω]νίππ[ω κ]αὶ [Ϝἰρυσιλά]ω, et
14 . . . . . *ὃ ἔκριν[ν]ε Ἀγώνι [π-*
15 *πο]μ μὲν καὶ Ϝἰρυσί[λαο]ν τε[θν]άκην*

de formatione nominis cf. Sauppium pag. 17. Habemus igitur hoc loco alterum tyrannum cum Agonippo connexum, cujus de causa in lapide accuratius quidquam non affertur. Contra Agonippi causa etiam in altero titulo perscripta exstat. Ante Conzium enim H. Kiepertus prope parietinas Eresi marmor repperit, quod Boeckhius[1]) publicavit, A. Conzius iterum descripsit in itineris Lesbiaci pag. 29, Sauppius, cum videret, hunc artissime cohaerere cum titulo illo in antica parte lapidis, pag. 13 ei adjunxit. Ut autem intellegi possit, quam similes duo inter se sint tituli, hujus quoque versus 1—16 ante oculos ponere libet; lectionem Sauppii sequimur:

τὰ ὕ]πλα τοὶς [ἄστοις
ἐξ]εκλάισε ἐκ τᾶς [πό-
λι]ος πανδάμι, ταὶ[ς
δ]ὲ γυναῖκας καὶ τ[αὶς
5 *θ]υγατέρας συλ[λάβων*
ἔ]ρξε εἰς τὰν [ἀκρόπο-
λ]ιν καὶ εἰσέ[πραξε
δισχιλίοις καὶ δι[α-
κοσίοις στατῆρας. τὰ[ν
10 *δὲ πόλιν καὶ τὰ ἶρα*
ἀρ]πάσαις μετὰ τῶν
λ]αϊστᾶν ἐνέπρησε
κ]αὶ συγκατέκαυσε
σ]ώματα τῶν πολι[τᾶν,
15 *κ]ρίνναι μὲν αὔτὸν*
16 *κ]ρύπτᾳ Ἀγώνιππ[ον*
(16 ex Kirchhoffii lectione:
[*κ*]*ρυπτᾷ* (*ψα*)[*φ*]*ί*(*σε*)[*ι κα*]-)

His verbis cum altera inscriptione comparatis neminem fugit, summam inter duos titulos in compluribus rebus similitudinem intercedere, in aliis autem illos, ut tales tabulae publicae sunt, satis inter se discrepare. Itaque Sauppius, cum res, quae differunt, pag. 20, afferret — magis etiam diversa sunt verba, quae sequuntur, in quibus ratio actionis definitur — secum reputavit, quomodo factum sit, ut ejusdem populisciti duo exempla in duobus lapidibus inscripta proponerentur. Quam difficultatem ita expedire studuit, ut sumeret, in posteriore lapide ea perscripta fuisse, quae, cum Agonippus ab Alexandro traditus esset, de causa agenda populus scivisset, in parte vero antica prioris addita quaedam fuisse, quae, cum causa in judicium venisset, in actione ipsa demum actores protulissent vel censuissent. Quamquam res mira est, tamen haec interpretatio ferri potest, si tituli in duobus diversis lapidibus exstant. Recte autem Kirchhoffius l. c., qui res inter se arte cohaerentes et mensuras duorum lapidum[2]) consideravit, unum marmor esse judicavit, quod in duas tantum partes diffrictum sit. Hac de re dubitari

1) In Corp. inscr. Graec. vol. II, pag. 1023 num. 2166b.

2) Cf. apud Sauppium l. c. p. 13, Droysen. p. 364. Mirum in modum duobus locis crassitudo et latitudo inter se confusae sunt; Sauppius dicit prius marmor 0,65^{m} altum, latum 0,48^{m}, crassum 0,24^{m}; alterum marmor altum 0,54^{m}, latum 0,22^{m}, crassum 0,47^{m} esse; dicere vult, alterum latum 0,47^{m}, crassum 0,22^{m} esse.

non potest. Quae cum ita sint, explicationi illi Sauppii locus non est, cum titulus, in quo inscripta est causa ipsa Agonippi, antecedat illum, quo ex Sauppi sententia traditur, quae de causa agenda populus sciverat. Infra autem demonstrabimus, has res, quae ad tyrannos expulsos pertinebant, certo quodam ordine servato perscriptas fuisse. Droysenius pag. 370, item ut Sauppius, duas contra Agonippum actiones et factas et inscriptas esse sumit; priorem statim post Lesbum ab Hegelocho captam anno tricesimo altero ab Eresiis sua sponte intentam, alteram anno vicesimo quarto factam post exules in urbes Graecas ab Alexandro reductos cf. Diodor. XVII, 109. Olympiis enim censet Droysen. exules tantum a Nicanore Stagirita de reditu certiores factos esse, deinde Alexandrum litteris mandata sua de hac re singulis rebus publicis perscripsisse. Ne haec quidem explicatio probanda esse videtur. Nam primum summa illa difficultas remansit, quod duo plebiscita de primo tyranno in lapide publice inscripta sunt, alterius, qui in plebiscito postremo, quo tota res comprehenditur et repetitur, arte cum illo conjungitur, causae antea nulla mentio facta est. Ipse enim cognovit id, quod manifestum est, si constat, unum lapidem esse, hoc marmor ab Eresiis erectum esse, cui omnia, quae ad tyrannos expulsos pertinebant plebiscita et similia certo quodam ordine inscriberent et palam proferrent. De Agonippi causa jam Sauppius idem suspicatus est cf. l. c. pag. 23. Deinde ne illa quidem discrimina, quae inter duas actiones Droysen. pag 371 statuit, re vera intercedere puto. Quid enim? Fac ut verbis tituli prioris v. 14 „ἀφικόμενος πρὸς Ἀλέξανδρον κατεψεύδετο“ exprimatur Agonippum ad Alexandrum effugisse, verisimile est, illum aliter in eum animadvertisse, atque in alios tyrannos, de quibus Arrianus III, 2, 7 tradit: „Ἀλέξανδρος δὲ τοὺς τυράννους μὲν τοὺς ἐκ τῶν πόλεων ἐς τὰς πόλεις πέμπει χρήσασθαι, ὅπως ἐθέλοιεν?“ Haec igitur actio non minus intenta est: „κατὰ τὰν διαγραφὰν τῶ βασιλέως.“ Quod autem disputat, de exulum reditu litteris ad singulas urbes missis opus fuisse, edictum Alexandri quod Diodorus XVIII, 8 cf. XVII, 109 Curtius X, 2, Justinus XIII, 5 memoriae tradiderunt, tam per se explicatum erat, ut mandata, quomodo efficeretur, superflua essent. Accedit, quod causa non erat, cur Eresii ex hoc edicto novam de Agonippo actionem instituerent, nam antea caedis, aliorum criminum convictus, per se in numero eorum erat, quibus reditus ex ipso edicto non concedebatur cf. verba Diodori l. c. „πλὴν τῶν ἐναγῶν et πλὴν τῶν ἱεροσύλων καὶ φονέων“, Curtium l. c., „qui civili sanguine aspersi erant,“ Justin. l. c. „praeter caedis damnatos.“ Denique jure interrogamus, qua re censeamus, judicium de Agonippo anno tricesimo altero factum usque ad id tempus dilatum esse? Altera igitur actione ita sumpta nil proficitur. Contra omnia bene quadrarent, si in hoc titulo causa alterius tyranni perscripta esset, quam Kirchhoffius quoque apud Droysen. pag. 369 requisivit, et positam fuisse suspicatus est in latere antico ante titulum de causa Agonippi. Singuli enim tituli ex tabula, quam Kirchhoffius l. c. apponit, ita sese exceperunt:

A	a	II	b
B	I	III	IV

In primo titulo, quem non habemus, ex Kirchhoffii sententia lex contra tyrannos sancta (νόμος κατὰ τῶν τυράννων) scripta erat, quae saepius in marmore commemoratur; fortasse titulus continebat causam Erysilai, certe initium causae Agonippi, quae porro tractatur, B I v. 1—32. Equidem censeo in lapide (στάλλα λιθίνα), siquidem tale, quale supra diximus, corpus litterarum publicarum fuit, nullo modo potuisse causam Erysilai deesse. Hoc dubium non est. Deinde maxime probabile est, hujus tyranni causam, praesertim si primo loco eam positam

fuisse, ex Kirchhoffii sententia accipimus, eodem modo neque brevius altera causa Agonippi inscriptam fuisse. Hoc autem ex Kirchhoffii conjectura, si mensuras lapidis supra allatas respicimus, fieri non potest. Nam cum superior pars lapidis A in superiore margine fere integra sit — cf. Droysen. l. c. pag. 364 — et ex titulis II et III appareat e medio paucissimos tantum versus excidisse, efficitur illam contra tyrannos legem ex Kirchhoffii sententia tres tantum versus complexam fuisse, id quod vix credibile est. Postremo mentionem saltem aliorum tyrannorum expulsorum, qui BIV v. 19 et 20 commemorantur, in exordio totius monumenti factam ex talium tabularum publicarum ratione jure exspectamus. Quae omnia obstant, quominus Kirchhoffio adstipuler. Aliam igitur viam ingressus inquisivi, num fortasse causa Erysilai, quam requirimus, insit in tabulae titulo II, quem supra nequiquam explicare studuimus. Hunc titulum deterius, quam verba inferioris lapidis partis servatum esse ex iis, quae Sauppius l. c. pag. 29 exposuit, bene intelligitur. Multo plures litterae detritae sunt, ut ille cogeretur, multa verba altero titulo collato restituere et addere; cf. quae vir doctissimus de Boekhii hujus tituli interpretatione pag. 30 dixit. Legitur autem apud Sauppium nomen Agonippi in v. 16. Descripsit Conzius litteras:

. Λ . I ‾ Γ . .

Kiepertus Τ . . . Ι Π Γ . .

ut nemo pro certo affirmare possit, si has litteras detritas respicit, hic scriptum fuisse nomen Agonippi. Ex Conzii lectione ne numerus quidem litterarum congruit, sed de hac re considerandum est, quod Sauppius pag. 13 de harum Lesbicarum inscriptionum ratione disputat. Atque re vera Kirchhoffius altero titulo comparato hunc locum aliter legit:

[κ]ρυπτᾷ(ιψα)[ς]ί(σε)[ι κα]-
[τ]ὰ;

quae lectio neque cum litteris servatis pugnat et ex similitudine alterius tituli propter pronomen *αὐτόν*, quod antecedit v. 15 sine dubio statuenda est. Altero loco nomen Agonippi legitur a duobus interpretibus v. 22, sed hic litterae tantum exstant

22) . . *ΜΑΣΑΜΕΝ* . . . . .
(*τ ι μ α σ α μ ε ν*)
23) . . Ω ,

ut eodem jure hoc loco pro „*Ἀγωνίππῳ*“ „*Εἰρυσιλάῳ*“ legamus; cf. quae Sauppius de quadris binas litteras continentibus (*ΙΣ* maxime et similes) l. c. pag. 13 disputavit. Ita facillime quod ad litteras inscriptionis attinet, titulum, quem desideramus, restituimus; neque miramur, quod cum simili in rebus, quae generaliter accidere solebant, cum tyrannus rerum potitus erat, congruit, ita ut verba quasi formulam esse judicemus; in singulis, quas enumerat Sauppius pag. 20, discrepat. Judicium autem, quod in fine causae cum judicio contra Agonippum facto in postremo titulo IV, 14 exstat, hic non addendum erat. Loco ejus jus jurandum judicum additum est. Ut jam singula, quae de his titulis disseruimus, in unum colligamus, hoc marmor ab Eresiis erectum videtur, in quo res et plebiscita, quae ad tyrannos expulsos pertinebant, inscriberent, inscriptaque publice proponerent. Hic autem erat ordo rerum inscriptarum, unde sequitur temporum ordinem, ut par est, accurate servatum esse. Primo loco I A ejectio tyrannorum, qui Philippi temporibus erant, et Hermonis et Heraei et Apollodori B I v. 37 et IV v. 18, 19, 20 commemorata, fortasse adjectum erat, Philippo aras positas esse. Deinde lex contra tyrannos sancta secuta est. Tertio loco causa Agonippi BI v. 1—32 scripta est. Quarto loco traditum est BI v. 32—41, Heroidam et Agesimenem, tyrannorum prius expulsorum

posteros — cf. stemma a Droysenio, pag. 372 propositum — ab Alexandro petivisse, ut sibi reditus daretur, cum in Eresiorum judicium venire parati essent. Plebiscitum de hac re factum a. v. 41 in inferiore parte lapidis erat, sed cum multa abrupta sint, non exstat. Quando hoc factum est? Droysen. id tempus proponit, quo Alexander Olympiis per Nicanorem omnibus exsulibus reditum permiserat. Sed jure aliquis, cui edictum Alexandri supra allatum in memoria est, quod omnibus, paucis tantum exceptis, exsulibus reditum concedebat, interrogabit, cur in titulo scriptum sit BI v. 35: *ἀφικομένων πρὸς αὐτὸν τῶν πρότερον τυράννων ἀπογόνων Ἡρωίδα τε τῶ Τερτικωνείω τῶ Ἡραείω καὶ Ἀγησιμένεος τῶ Ἑρμησιλείω και ἐπαγγελλάντων πρὸς Ἀλέξανδρον, ὅτι ἕτοιμοί ἐντι δίκαν ὑπόσχην πάντων τῶν ἐγκαλημένων ἐν τῶ δάμω.* Nam agitur de posteris tyrannorum, non de tyrannis ipsis, atque judicamus ex edicti verbis, per se iis redire licuisse Itaque cum Sauppio pag. 20 pono, id multo verisimilius tum factum esse, cum Agonippus tyrannus anno, ut infra demonstrabimus, tricesimo quarto expulsus est, quem Droysenius ipse pag. 372 recte suspicatus est, nulla necessitudine cum prioribus tyrannis junctum fuisse. Tum nepotes aliorum tyrannorum ad Alexandrum supplices venerunt, atque dixerunt, se in Eresiorum judicium venturos esse. Quinto loco sub finem BI et II v. 1—33, ubi pauca tantum e medio exciderunt, causa Erysilai insculpta est. Sexto loco edictum Arrhidaei fuit, qui Alexandro in Macedonia succedebat, cui cognomen Philippus erat, cf. Diodor. XVIII, 2; quo ex edicto Alexandri in exsules judicia rata manebant. Septimo loco III usque ad finem et IV, v. 1—3 litterae traditae sunt, quas Antigonus, cui cognomen erat Unoculus, (regnabat annis 306—301) ad Eresios misit, ex quibus perspicimus jam prius Antigonum ab Eresiis petivisse, ut Agonippi filiis reditus permitteretur, Eresios precibus non obsecutos legatos ad illum misisse. Reliqua desunt, tantum vocabulum salutis „*ἔρρωσθε*“ in fine servatum est. Octavo et postremo loco plebiscitum Eresiorum, quod omnia, quae antecedunt, comprehendit, perscriptum est, legem supra positam et contra tyrannos et eorum posteros ratam esse. In fine totius marmoris Kirchhoffius recte suspicatur, magistratum quendam jussum esse, has litteras publicas marmori inscribere et certum drachmarum numerum in hanc rem consumere.

Quid ex his titulis efficitur ad orationis tempus accuratius definiendum? Tyrannidem temporibus belli illius, quod socii cum Atheniensibus annis 357—355 gerebant, in urbe, quae antea societatis Atticae etiam alterius particeps fuerat, constitutam esse et Droysen. et Saupp. conjecerunt.[1]) Hic vir doctissimus, Sauppius, argutissime tyrannos, qui v. I, 37 et IV, 19, 20 commemorantur, conjungit cum loco, qui apud Plutarchum adv. Coloten pag. 1126. F. legitur[2]) et cum altero in dialogo, cui Plutarchus inscripsit: „*ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον* pag. 1097 B“,[3]) atque colligit, hos tyrannos a Theophrasto eversos esse et Eresios gratis animis Philippo, qui eos hac in re adjuvisset, aras posuisse. Ceterae autem res, utrum uno eodemque tempore tres illos jura tyrannidis inter se partitos fuisse, an diversis illos temporibus imperio potitos fuisse existimandum sit, non videt, qua ratione quibusve argumentis certo dignosci possint. Nisi quod „*δίς*“ apud Plutarchum positum ei recte eo deducere videtur, ut de diversis temporibus cogitet. Droysen. ad tempus paulo accuratius definiendum locum v. 1—37 ascribit, quo traditur, tyrannorum posteros ab Alexandro reditum petivisse; atque indicat hoc loco Apollodori nepotes non nominari, ex versibus IV, 18 et 19 autem apparere, de eorum

1) Cf. Droysen. l. c. pag. 372, Saupp. l. c. pag. 4 et 5, corp. inscr. Attic. II No. 17 v. 20.

2) *Τί οὖν εἴ τι τοιοῦτον ἐπέπρακτο αὐτοῖς οἷον Ἀριστοτέλει, τὴν πατρίδα κτίσαι διεφθαρμένην ὑπὸ Φιλίππου, Θεοφράστῳ δὲ δὶς ἐλευθερῶσαι τυραννουμένην;*

3) *Τίνας οὖν οἰόμεθα καὶ πηλίκας ἡδονὰς εἶναι — Ἀριστοτέλους, ὅτε τὴν πατρίδα κειμένην ἐν ἐδάφει πάλιν ἀνέστησε καὶ κατήγαγε τοὺς πολίτας; τίνας δὲ Θεοφράστου καὶ Φειδίου τοὺς τῆς πατρίδος ἐκκοψάντων τυράννους;*

quoque reditu cum Eresiis actum esse. Conjicit fortasse illos tum, — est ex ejus sententia annus vicesimus quartus — nondum ex pueris excessisse, itaque pro illis consobrinos apud Alexandrum verba fecisse. Qua conjectura, si nobis probatur, verisimile fit, Apollodorum nonnullis annis post Hermonem et Heraeum dominationem occupasse. Majoris momenti verba tituli IV, 34 mihi esse videntur: *„καὶ τὰ ψαφίσματα τὰ πρότερον γραφέντα ὑπὸ τῶν προγόνων“*, quae Sauppius refert ad Philippi tempora, equidem rettulerim ad prima Philippi tempora. Hae tabulae enim inscriptae sunt haud multo post annum trecentesimum primum cf. Saupp. pag. 23. Neque quisquam, qui vocabulum *„πρόγονοι“* respicit, de annis postremis Philippi paulo ante praeteritis, immo vero de remotioribus primis regni cogitat. Jam quaerendum est, num credibile sit, his primis regni sui temporibus Philippum Eresios in expellendis tyrannis adjuvisse. Recte Sauppius pag. 6 judicavit, Philippum in insulis maris Aegaei partibus optimatium subvenisse, in Graecia quam maxime obtrectavisse. Sed causam statim addit, quod in insulis illis tyranni praesidio Persarum sustentabantur; Persarum igitur auctoritatem tyrannis expellendis infringere voluit. Quid? Hoc primis regni annis sibi proposuerat, an postremis? Primis nihil antiquius habuit, quam ut Graeciam subigeret; hac demum subacta et post pugnam Chaeronensem imperator totius Graeciae factus, bellum contra Persas mente agitavit. Hanc argumentationem, ut supra, testimoniis scriptorum confirmare possumus. Nullum testimonium exstat, quo primis Philippi temporibus simile quid, atque hic commemoratur, memoriae traditum est. Frustra et scriptores rerum et oratores hujus temporis pervestigas. Res in mari a Philippo gestae commemorantur apud Demosthenem IV, 34 (anno 348 et 347) cf. Boehneck. pag. 186, quae ad plane aliam rem referendae sunt, ad bellum contra Athenienses gerendum. Eodem pertinent verba Hegesippi de Halonneso § 15, quae Sauppius annotat; id demonstrant verba scholiastae quoque ad hunc locum [1]). Praeterea legimus de Byzantii et Perinthi obsessione apud Demosthenem XVIII 87, apud Philochorum in Dion. Halic. litt. ad Ammaeum I, 11, Plut. Phoc. 14, accuratissime apud Diod. XVI, 74 et proxx., qui et ipse nullam insularum mentionem facit. Alterum locum Arriani I, 17, 11, quem Sauppius ascripsit, infra ad aliud tempus referemus. Contra bene se res habet post pugnam Chaeronensem et foedus Corinthiacum ictum, cum Philippus in eo erat, ut bellum contra Persas susciperet. Tum testimonium luculentum promptum est, quod jam Droysenius pag. 373 affert, sed alio loco historiae Alexandri I, pag. 96 ann. 2 dubitat, num res vere facta sit, quamquam postea dubitationem deposuisse videtur. Tradit enim memoriae Justinus IX, 35, Philippum, regem, initio veris tricesimi sexti magnum exercitum (Polyaenus V, 44 decem milia hominum fuisse narrat) Parmenione et Attalo ducibus cum classe (Trog. Pomp. prol. IX) misisse, ut urbes trans Hellespontum sitas occuparent et urbes Graecas liberarent. Confer, ne cum Droysenio de re dubites, Diod. XVI, 91, XVII, 5 et 7, Curtii verba VII, 1, 3, apud Arrianum quoque, qui alias hanc expeditionem silentio praetermisit, II, 14, 2 mentionem Darei epistulae: *„ὅτι Φίλιππος ἀδικίας πρῶτος ἐς βασιλέα Ἀρσῆν ἦρξεν.* [2]) Quis negat hoc factum facillime et quasi per se conjungi cum tyrannorum expulsione? Nam cum hi semper a Persarum partibus starent; classi ante omnia id agendum erat, ut eos insulis Aegaei maris depelleret. Singulae res de classe non traduntur, sed jure dubitari non potest, quin ea initio veris emissa usque ad autumnum ineuntem, ubi Philippus interfectus est [3]), ad septentrionales maris Aegaei insulas pervenerit,

---

1) *Ἐλεγχθέντες γάρ τινες τῶν Θασίων, ὡς μέλλουσι Φιλίππῳ προδιδόναι τὰ πράγματα ἐφυγαδεύθησαν ἐκ τῶν πολιτῶν, τούτους ὁ Φίλιππος πείσας τοὺς περὶ τὸν Χάρητα κατήγαγεν.*

2) Cf. Droysen, hist. Alex. pag. 96 ann. 2.

3) Cf. Droysen, hist. Alex. pag. 98 ann. 3.

tyrannosque expulerit[1]). Hoc tempore etiam ex aliis urbibus Asiae minores vel ipsa classe vel Philippi auctoritate et spe adventus adjutos cives expulisse tyrannos verba Arriani I, 17, 11: „τὴν εἰκόνα τὴν Φιλίππου τὴν ἐν τῷ ἱερῷ“ ex probabili Sauppii conjectura docent. His rebus expositis pro satis certo affirmare possumus, hanc expeditionem conjungendam esse cum tyrannis, qui erant Philippi temporibus, expulsis; verisimile autem esse, Appollodorum anno tricesimo sexto, Philippo adjuvante, Hermonem et Heraeum jam antea a civibus ejectos esse. Si hoc statuimus, res quoque ceteris titulis traditae bene explicantur. Neque enim tam multo post[2]), fortasse cum Philippus moreretur, nuntiusque ejus mortis allatus esset, Alexander, juvenis, successisset, Graeci aliaeque gentes et Attalus ab illo defecissent, Agonippus rerum Eresiarum potitus est. Sed non diu dominationem possidebat, finis mox ei impositus est ab Alcimacho — sic cum C. Muellero legendum est, Geierus Lysimachum legit, — quem Alexander Epheso miserat, qui Jonias et Aeolicas urbes Asiae minoris a barbaris et tyrannis liberaret, res publicas liberas restitueret, cf. Arrian. I, 18, 2. Addiderim, verba quoque tituli I v. 6 „πρὸς Ἀλέξανδρον καὶ τοὺς Ἕλλανας πόλεμον ἔξειν,“ quamquam ad foedus Corinthiacum anno tricesimo sexto renovatum pertinent, certe tum demum magis usurpata esse — cf. Arrian. II, 1, 4 et II, 2, 2 — cum vel ineunte bello Persico vel sub ejus initium, singulae insulae evocatae sunt, ut se ad Alexandri et Graecorum partes applicarent Ipse tyrannus ad Alexandrum confugit, apud eum pro se verba facturus, qui sine dubio, id quod ex verbis quoque tituli IV, 9 et proxx. apparet[3]), eodem modo eum ad Eresios, qui rem dijudicarent, remisit ac postea Erysilaum. Hoc tempore anno tricesimo quarto posteros priorum tyrannorum supplices ad Alexandrum venisse, jam supra exposuimus. Deinde Memnon anno tricesimo tertio regiae classi praefectus, Chium omnesque urbes Lesbi, inter quas Eresus quoque erat, praeter Mytilenen in potestatem suam redegit, tyrannis adjutoribus, qui appropinquante Memnone aut ipsi rerum potiti erant aut postea a Persis constituti sunt; cf. Arrian. II, 1, Diod. XVII, 29, 31, Curt. IV, 8, 11. In Curtii loco Sauppius nomen ipsum Erysilai, de quo hic titulus A II agit, restituit: „inter quos Methymnaeorum Aristonicum et Erysilaum (pro Chrysolao)“; et ita bene explicavit, ut Curtium errore Methymnaeorum tyrannum nominasse dixerit, qui Eresiorum sit; cf. pag. 17 apud Sauppium. Hic igitur Erysilaus, anno trecentesimo tertio tyrannus factus, jam proximo anno, cum Hegelochus et Amphoterus, qui Macedonicae classi praeerant, Memnone mortuo Persas ex mari Aegaeo exegerunt, una cum aliis tyrannis expulsus est[4]). Arrianus III, 2, 4 narrat, tyrannos ab Hegelocho ad Alexandrum missos, ab hoc ad urbes singulas remissos esse, ut cives in eos consulerent, quomodo vellent; inter quos Erysilaus quoque erat. Ita omnia facta, et quae antecedunt et quae sequuntur, in hac inscriptione bene explicantur, neque est, ut id postremo breviter refellam, cur cum Weilio in annotatione ad § 7 statuamus, tyrannos ab Alexandro bis expulsos esse[5]). At quando primum eos ab Alexandro expulsos esse ante bellum contra Persas

1) Cf. Diodori verba XVI, 1: „καὶ δυνάμεις μὲν εἰς τὴν Ἀσίαν διαβιβάσας τὰς Ἑλληνίδας πόλεις ἠλευθέρου.

2) Cf. Plassium II, pag. 40, qui exponit, quam celeriter tyrannides hujus temporis mutatae sint et Sauppium l. c. pag. 8.

3) Ἐπειδὴ καὶ τῶ δάμω ὁ βασίλευς Ἀλέξανδρος διαγράφαν ἀποστέλλαις προσέταξε Ἐρεσίοις κρῖναι ὑπέρ τε Ἀγωνίππω καὶ Εἰρυσιλάω.

4) Cf. Droysen, hist. Alex. pag. 314, A. Schaefer. l. c. III, 1, pag. 168 et proxx., Curtius IV, 5, 14 et IV, 8, 11, Arrian. III, 2, 3 et proxx.

5) Évidemment ceux d'Antisse et d'Éresos avaient été dès lors expulsés par la même raison. Je soupçonne que Memnon rétablit ces tyrans, quand il s'empara de cette île peu de temps avant sa mort, en 333 (cf. Arrien, II, 2), et qu'Alexandre leur infligea une punition plus rigoureuse, quand il les prit la seconde fois.

susceptum censeat, vir doctissimus non affert. Neque id, quod Blassius pag. 122, 4 objicit hunc oratorem tantum dicere, tyrannos ab Alexandro expulsos esse, ex titulis autem apparere, eos anno tricesimo altero necatos esse, verum est. Immo vero ex accuratis inscriptionis verbis ab Alexandro tyranni expulsi, a civibus capitis damnati et supplicio affecti sunt. Efficitur ex rebus de titulis allatis habitam esse orationem non ante annum tricesimum quartum, quo Agonippus expulsus est; si quis oratorem de pluribus Eresiis tyrannis ejectis cogitasse mavult, non ante annum tricesimum alterum; sine dubio post Thebas dirutas et bellum Persis illatum. Eundem annum tricesimum quartum Droysenius quoque probat, quamquam alium titulorum ordinem statuit.

Jam tertium factum in medium proferamus, quod legis § 10: „*Χαίρωνα δὲ τὸν παλαιστὴν τύραννον ἐγκατέστησεν*" Plassius l. c. II 107 recte putavit res, quae hoc loco Alexandro ab oratore crimini darentur, magis cadere in Chaeronem, quam in illum. Athenaeus enim in Deipnosophistarum libri XI pag. 509, b eum maxime reprehendit, quod, quamquam discipulus Platonis et Xenocratis erat, tamen pessima facinora Pellenae perfecit, non solum multos cives exagitavit, sed etiam bona eorum servis dono dedit, feminasque illorum his collocavit. Atque Pausanias VII, 27, 7 memoriae tradidit, Pellenenses illum, qui saepius Olympiis victor fuerat, cum dominationem doni loco ab Alexandro accepisset, ne nominare quidem voluisse. Haec sunt omnia, quae de eo scimus. Si denuo, ut supra, ex temporum conditione aliquid concludi licet, idem contra Blassi et Weili sententiam, quod supra fecimus, statuendum est. Alexander secum pugnaret, si hic tam caute se gereret, ut Spartiatas non cogeret ad foedus Corinthiacum se applicare, illic tyrannis contra ipsas foederis paulo ante icti leges urbibus impositis Peloponnesiacas res publicas ad bellum contra se, summis periculis circumventum, provocaret. Contra post Thebas dirutas in aliis quoque urbibus Peloponnesi tyrannides institutas esse, jam supra ostendimus. Nisi quis propter particulam temporalem „*νῦν*" additam ad posteriora etiam tempora Antipatri — dicit orator „*ὁ Μακεδών*" — descendendum esse censet At conferendum est quod Boehneckius pag. 252 ann. 2 de significatione satis lata et indefinita particularum „*νῦν*" et „*πρώην*" disputat. Exempli causa ex Demosthenis orationibus locum XXIII § 191 affert, ubi ille expeditionem in Euboeam sex annis ante factam verbis „*τὰ τελευταῖα νυνί*" significat.

Quarto loco orator verba ponit § 16: „*οὕτω τοίνυν ῥαδίως τὰ ὅπλα ἐπήνεγκεν ὁ Μακεδών, ὥστ' οὐ κατέθετο τὰ ὅπλα, ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἔχων περιέρχεται καθ' ὅσον δύναται, τοσούτῳ καὶ νῦν μᾶλλον, ἢ πρότερον, ὅσῳ ἐκ προστάγματος ἄλλους τε ἑτέρωθι καὶ τὸν παιδοτρίβην εἰς Σικυῶνα κατήγαγεν.*" Quis fuerit hic paedotriba, pro certo dicere non possumus. Demosthenes de corona § 48 proditorem his temporibus Sicyone Aristratum quendam fuisse commemorat et eum § 295 in numero eorum refert, qui cives deceperint et in servitutem redegerint, „*Σικυωνίους Ἀρίστρατος, Ἐπιχάρης δούλους ἐποίησαν*. H. Plass. cum veritatis specie l. c. pag. 106 Aristratum paedotribam fuisse, quem hoc loco habemus, conjecit, eundem ex Plinii historiae naturalis 35, 36, 22 tyrannum Sicyonis et amantem imaginum pulchrarum fuisse cognovimus; ex Plutarchi vita Arati c. 13 accepimus, Arati temporibus simulacrum exstitisse, quo Aristratus tyrannus juxta currum triumphalem stans ab Apelle depictus erat. Porro vir ille doctus conjectat, tyrannum post Philippi mortem a civibus expulsum, ab Alexandro reductum esse. Accuratius de tempore, quo id factum sit, non disputat. Multum autem ad hanc questionem dijudicandam verba hoc loco ab oratore posita conferre mihi videntur. Dicit enim primum, Macedonem nunquam arma deposuisse, sed etiam tunc habere. Quis ita adverbia „nunquam (*οὐδέ πώποτε*) et nunc (*νῦν*)", usurpat et inter se opponit, si de quattuor mensibus, qui inter mortem Philippi et primam

Alexandri in Graeciam expeditionem intercesserant, verba facit? Boehneckius pag. 629 ann. 2 prima verba ad bella cum Illyriis, Thracibus, finitimis gentibus, ineunte vere tricesimi quinti anni ab Alexandro gesta refert, cf. Arrian. I, 1, 4. Sed recte Schaeferus III, 1, pag. 191 ann. 5 contra dicit, oratorem agere de foedere violato, quam ob rem verba nullo modo ad barbaras gentes, quarum nulla mentio fieret, sed tantum ad Graecas urbes ab Alexandro petitas revocari posse. Neque probabile est, his temporibus, quibus Alexander a finitimis gentibus valde premeretur, nuntiusque per totam Graeciam permanaret, illum interfectum esse, ullam Graecam rem publicam Alexandri auctoritate commotam, tyrannum expulsum recepisse. Optime res se haberet post Thebas dirutas, quod in tempus duo similia facta cadere suspicati sumus, sed ne id quidem tempus probandum est. Alterae enim res verbis, quae sequuntur, ab oratore inter se opponuntur, quibus sine dubio ad posterius tempus deducimur. Sejungit enim res, quae prius (*πρότερον*) per vim ab Alexandro effectae sunt, ab alteris, quae tum (*νῦν*) jussu et auctoritate ejus fiunt, exempli causa afferens paedotribam Sicyonem reductum. Illae sunt res, quas supra commemoravit § 4, 10, 15 aliae, quae cohaerent cum Thebis vi captis. Has, quae prioribus et tempore et ratione oppositae sunt, recte jam Schaeferus III, 1, pag. 191 ad Antipatri, Graeciae praefecti, tempora rettulit. Sic enim et verba: „*ὥστ οὐδὲ κατέθετο πώποτε, ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἔχων περιέρχεται, καθ' ὅσον δύναται*“ bene explicantur, cum spectent ad Macedonum praesidia in Graecia relicta et optime Alexandri priorum temporum facta et ea, quae posteriore tempore vel Antipatri — hoc quoque loco *ὁ Μακεδών* legitur — vel ipsius jussu et auctoritate in Graecia facta sunt, inter se opponuntur.

Jam transeamus ad quartum factum, quod inest in § 20: „*εἰς τοῦτο γὰρ ὑπεροψίας ἦλθον, ὥστε εἰς Τένεδον ἅπαντα τὰ ἐκ τοῦ Πόντου πλοῖα κατήγαγον καὶ σκευωρούμενοι περὶ αὐτὰ οὐ πρότερον ἀφεῖσαν, πρὶν ὑμεῖς ἐψηφίσασθε, τριήρεις ἑκατὸν πληροῦν καὶ καθέλκειν εὐθὺς τότε καὶ στρατηγὸν ἐπ αὐταῖς ἐτάξατε Μενεσθέα.* Ne de hac quidem re quidquam certi a scriptoribus affertur. Est igitur primum denuo quaerendum, num haec res primis Alexandri temporibus apta sit? Unusquisque, qui primordia Alexandri secum reputaverit, facere non potest, quin mihi concedat, vix credibile esse, Alexandrum, neque enim tam amentem aliis in rebus se praebebat, his temporibus Athenienses ad bellum maritimum provocasse. Hi enim classe multo praevalebant, erant eis trecentae quinquaginta naves,[1]) ipse in Asiam proficiscens non amplius centum sexaginta (Arrian. I, 11, 6) vel summum centum octoginta duas (Justin. 11, 6) naves secum ducebat, quarum viginti Atheniensium erant. Atque id quoque considerandum est, ante Thebas dirutas Alexandrum multis in angustiis, quas supra exposuimus, versatum esse, post dirutas nihil antiquius habuisse, quam ut bellum contra Persas susciperet. Quid? putasne eum, qui Atheniensibus, Thebarum sociis, ignosceret, ne mora belli Persici suscipiendi interponeretur, tempore eodem eosdem bello lacessivisse? Itaque non mirum est, si simile hujus temporis factum memoriae traditum nullo loco exstat, nam Arriani verba I, 3, 3: „*ἐνταῦθα καταλαμβάνει αὐτῷ ἡκούσας ναῦς μακρὰς ἐκ Βυζαντίου διὰ τοῦ πόντου τοῦ Εὐξείνου*“ quae Grotius (ex Hoepfneri translatione) XII, 25 cum hoc loco conjungit et conjectat, illa classe naves Atheniensium, quae frumentum ex Ponte Athenas transportabant, rententas esse, ad plane diversam rem spectare facile demonstrare possumus. Agitur de bello contra Triballos anno 35 gesto, in quo Alexander Byzantios naves ex foedere quodam cum illis icto ad Istrum mittere jubebat, quibus flumen transiret. Primur igitur erant naves Byzantiorum, non Macedonum; deinde vix credibile est,

1) Cf. Droysen. hist. Alex. pag. 164.

Byzantios urbem et potentissimam et antea sibi conjunctissimam Atheniensium — cf. de corona § 87—90 — tam violenter lacessivisse. De temporum conditione jam supra exposuimus. Tertium cum hoc tempore maxime verba ipsa oratoris paulo infra posita repugnant § 22: „ὃ παρ' ἐλάχιστον ἐποίησεν αὐτοὺς ἀφαιρεθῆναι δικαίως τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν“. Dominantur igitur his temporibus Macedones in mari, id quod certe non in primos Alexandri annos cadit. Recte Schaeferus grave argumentum ex his classis Macedonum incrementis petivit, contra Blassius verba, quae cum sententia sua plane discrepant, ita explicare studuit, ut disserat, penes Macedones principatum maris ex foederis tantum verbis, non re vera fuisse. Nam verbis § 25: „ἕως γὰρ ἂν ἐξῇ τῶν κατὰ θάλατταν καὶ μόνοις ἀναμφισβητήτως εἶναι κυρίοις“ apparere, opes maritimas eorum re et veritate pro Atheniensibus parvas fuisse. Quae interpretatio, quamquam eam argutam esse concedo, tamen subtilior, quam verior est. Sine dubio in foedere Corinthiaco talia verba erant: „στρατηγὸν εἶναι τὸν Ἀλέξανδρον κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν“ cf. Polyb. IX, 33, Plut. inst. Lacedaem. 42, pag. 240, a, sed antequam Alexander copias et naves Graecorum ad bellum Persicum suscipiendum collegit, ne ex verbis quidem foederis de principatu, qui penes Alexandrum erat, cogitari potest. Nam non in universum foedere Corinthiaco rex Macedonum „ἡγεμὼν αὐτοκράτωρ“ totius Graeciae factus est, id quod Macedones non postulaverant, Graeci num concessuri fuerint, dubito, sed tantum ad bellum contra Persas suscipiendum; cf. Diod. XVI, 11, Arrian VII, 9, 5 et quae Droysen. hist. Alex. I, 43 et Schaefer. III, 1, 51 exposuerunt. Itaque nemo verba ad fictum illum principatum, cui res non respondebat, refert, sed unusquisque intelligit, oratorem de vera maris dominatione agere, imprimis si respicit verbum ab oratore usurpatum „ἀφαιρεῖσθαι“, quod habet vim eripiendi aliquid, quod re vera antea penes aliquem fuerat. Quod autem attinet ad verba § 25, quae Blassio cum his pugnare videntur, eum verbum „ἐξῇ“ praeteriit; orator non dicit Athenienses tum dominos maris esse, sed licere tantum, si summis opibus suis utantur. Nihil obstat, quominus illis temporibus, cum Athenienses quieti domi erant, Macedones navibus suis in mari dominati sint. Atque tantum a Blassii interpretatione abhorreo, ut non dubitem, quin orator Atheniensium haec ipsa verba anno tricesimo positurus fuerit, cum classis Macedonum per totum mare Aegaeum dominabatur. Denique autem id imprimis Blassii sententiae objicio, Macedones, nisi revera tum maris domini fuissent, Athenienses lacessere non ausuros fuisse. Itaque haec res neque ante Thebas dirutas neque statim post Alexandri in Asiam profectionem facta est. Jure Droysenius et Schaeferus multo posterius tempus proposuerunt. Ille res ab Arriano II, 2, 3 et 4 allatas in memoriam revocat, quibus docemur, Alexandrum, postquam sex mensibus ante ipse classem dimisit, Hegelocho mandasse, ut novam colligeret idemque in Europa Proteam facere ab Antipatro jussum essse[1]). Conjectat igitur Droysen., Hegelochum ita mandata effecisse, ut Atheniensium navigia, quae ex Ponto redibant, Tenedi retineret. Schaefero III, 1. pag. 161 magis annus tricesimus alter placet, quo Macedones non jam contra Persas se defendebant, sed ipsi illos aggrediebantur. Conjungit cum hac re verba Plut. Phoc. vit. cap. 21[2]); et alterum locum Plut. vit. Dec. Orat. pag. 847c[3]) cf. eodem loco pag. 848d[4]) et

---

1) Cf. Droysen. hist. Alexand. p. 241, ann. 3 et Curt. III, 1, 19, qui errat de imperio, quod penes Hegelochum, non penes Amphoterum erat, cf. Schaefer. 160, 1.

2) Γράψαντος δὲ τοῦ Ἀλεξάνδρου περὶ τριήρων, ὅπως ἀποστείλωσιν αὐτῷ, καὶ τῶν ῥητόρων ἐνισταμένων, τῆς δὲ βουλῆς τὸν Φωκίωνα λέγειν κελευούσης et quae sequuntur.

3) Στρατευομένῳ δ' αὐτῷ ἐπὶ Πέρσας καὶ αἰτοῦντι ναυτικὸν παρ' Ἀθηναίων (Δημοσθένης) ἀντεῖπεν.

4) (Ὑπερείδης) καὶ περὶ τῶν στρατηγῶν, ὧν ᾔτει (Ἀλ.) παρ' Ἀθηναίων.

ex iis concludit, Macedones tum, fortasse quod Athenienses eis non obsecuti erant, navigia Tenedi retinuisse[1]. Equidem neque Droyseni neque Schaeferi sententiam plane probo. Ex Arriani verbis II, 2, 3 non satis apparet, quo tempore, si accuratius id definire volumus, Hegelocho mandatum sit, ut classem colligeret. Arrianus affert rem, cum Alexander Gordii versabatur, post Memnonis mortem, sed ita, ut videamus jam antea eam factam esse. Curtius eodem modo hoc factum post res Gordii gestas ponit. Cum Droysenio igitur et Schaefero concludere possumus, vere anni tricesimi tertii Hegelochum jussum esse classem comparare simulque ex verbis Curtii, quae deinceps sequuntur, cognoscimus, sociis ex foedere naves imperatas esse, quae Hellesponto praesiderent; cf. Curt. III, 1, 20. Haec autem verba Droyseni sententiae de navibus tum retentis contraria sunt. Credi non potest, eundem imperatorem eodem tempore ex foedere naves ab foederata re publica postulare atque contra foedus naves ejusdem rei publicae retentas ad bellum gerendum instruere. Altera ex parte non intellego, cur Schaeferus, qui recte hanc contionem, quam Plutarchus Phoc. c. 21. commemorat, cum Curtii verbis supra allatis conjunxisse videtur, eam anno demum tricesimo altero factam esse statuerit. Si vere anni tricesimi tertii naves ab Alexandro imperatae sunt, maxime probabile est, contionem Athenis aestate ejusdem anni factam esse. Fortasse id quoque commemorandum est, Atheniensium legatos Gordium ad Alexandrum venisse, qui petebant, ut cives Athenienses, qui pro Persis pugnantes in pugna ad Granicum flumen commissa capti erant, liberos dimitteret, sed repulsam tulisse; cf. Arrian. I, 29, 5, Curt. III, I, 9. Conjectari potest, Athenienses hac re iratos Demosthenis et Hyperidis sententiam secutos esse. Deinde autumno ejusdem anni Hegelochus classe, quam ex aliis Graecis urbibus comparaverat — cf Arrian. 2, 4 — Aristomenem, Persarum ducem, ad Hellesponti oram devicit[2]. Tum navigia Atheniensium, quae autumno Athenas ex Ponto revertebantur, Tenedi retinuit, sed eas demisit, cum Athenienses statim classem ducentarum navium instruerent, jure timens, ne dominatione maris vix parta, si eas Persarum classi adjunxissent, se privarent. Ita res anno tricesimo tertio bene se habent. Denique verba § 25, quae Blassius ad Thebas refert: *„τοῖς γε κατὰ γῆν πρὸς τῇ ὑπαρχούσῃ δυνάμει ἔστι προβολὰς ἑτέρας ἰσχυροτέρας εὑρέσθαι“* non minus recte ad Spartiatas, Atheniensium socios, referri possunt. Neque minus cadere in haec tempora verba § 25: *„ἄλλως τε καὶ πεπαυμένων ὑπὸ τῆς τύχης τῶν δορυφορουμένων ὑπὸ τῶν τυραννικῶν στρατοπέδων,“* cum Agis arma contra Macedones caperet, quam cum Thebani ad bellum coorerentur, jam Schaeferus pag. 192 recte judicavit.

Restat ut de postrema ab oratore allata re judicium proferamus. Comperimus § 26 nuper Macedonum triremem Piraeum intrasse, cujus dux ab Atheniensibus peteret, ut sibi liceret, ibi parva navigia aedificare. Schaeferus[3] et Droysenius[4] recte hanc rem ad illud tempus rettulerunt, cum Macedones omni modo nitebantur, ut Persas ex mari Aegaeo plane depellerent. Nam ante annum tricesimum quartum, sive anno sexto, sive quinto, certe talis res, qua Athenienses et foedus vehementissime violabantur, belli suscipiendi causa fuisset, id quod ne his temporibus fieret, Alexandrum omni modo prohibuisse, supra exposuimus. Droysenius argute hoc factum cum antecedenti conjungit, simulque verba ascribit, quae in Anaximenis fragm. 17 libri secundi,

---

1) Cf. etiam, quae Schaeferus de Menestheo, Atheniensium duce, I. pag. 149 et 153 et proxx. et III, 1. pag. 162, 1 exposuit.

2) Cf. Curt. IV, 1, 36, Schaefer. III, 1. pag. 160. Droysen l. c. pag. 274.

3) Cf. III, 1. p. 161, annot. 2.

4) Cf. l. c. p. 242, 2.

cf. scriptorum de rebus Alexandri fragmenta ed Mueller pag. 38, leguntur [1]). Conjicit autem hunc Alcimachum, qui anno tricesimo quarto praesidia Persarum ex Jonia et Aeolide ejecerat, Athenas anno tricesimo tertio missum esse, ut naves imperaret — cf. Curtium III, 1, 20 — ejusque triremem Piraeum intrasse ipsumque, qui esset civis Atheniensium, id quod Harpocration tradit [2]), petivisse, ut sibi liceret, in navalibus parva navigia construere. Sine dubio Droysen. rectam viam indicavit, quocum Schaeferus consentit, esse hanc rem ad haec tempora posteriora Alexandri referendam. Contra Geierus [3]) suspicatus est, de prioribus ante Thebas dirutas temporibus cogitandum esse, cui recte Schaeferus objecit, illas res accuratissime nobis traditas, hoc autem factum nullo loco commemoratum esse. Deinde autem quaerit, quo tempore altera Alcimachi legatio statuenda sit. Non igitur eam ad Curtii supra allata verba III, 1, 20 refert. Ne id argumenti loco proferamus, hoc factum in oratione post alterum, ante quod Droysen. id ponit, enarratum esse, certe verba Plutarchi de litteris tantum Alexandri agunt, Alcimachi mentionem non faciunt. Malim igitur legationem ponere post annum tricesimum tertium et alterum factam, cum classis Macedonum Persas acrius impugnare coepit. Tum Alcimachus, civis Atheniensis, anno tricesimo altero Athenas delegatus est, ut, offensione illa sublata, parva navigia in navalibus aedificanda curaret.

Restat, ut singula, quae demonstravimus, breviter complectamur. Ante Thebas dirutas fieri possunt primum factum § 4 (filii Philiadae Messenam reducti sunt) et tertium § 10 (Chaeron tyrannus Pellenae constitutus est), quamquam haec quoque melius explicantur post Thebas dirutas posita; reliqua et alterum factum § 7 (tyranni ex urbibus Lesbiacis expulsi sunt) et quartum § 16 (Sicyonem paedotriba reductus est) et quintum § 19 (navigia Atheniensium Tenedi retenta sunt) et sextum § 26 (navis Macedonum Piraeum intravit) sine dubio post Thebas dirutas et Alexandri in Asism profectionem statuenda sunt evenisse. Cum postremum factum ad annum tricesimum alterum nos deduxerit, oratio, ut jam Schaeferus vidit, cum Agidis temporibus conjungenda est.

Supra vidimus Agidem, Spartiatarum regem, solum recusasse, quominus anno tricesimo sexto cum Alexandro foedus Corinthiacum iniret; cf. Arrian. I, 1, 2. Itaque cum Persarum classis in mari Aegaeo versabatur, anno tricesimo tertio una trireme ad classem eorum, quae ad insulam Siphnum in ancoris erat, venit, pecuniam et copias petens; cf. Arrian. II, 13, 4, Curt. IV, 1, 37. Accepit ab Autophradate triginta talenta et decem triremes, quas Agesilao, frati, misit eique imperavit, ut Cretam, insulam, occuparet. Ipse aliquamdiu in his insulis morabatur, tum Halicarnassum ad Autophradatem profectus est; cf. Arrian. II, 13, 6. Sequenti anno res Persarum in mari Aegaeo male gestae, fere omnes insulae a Graecis recuperatae sunt, inter quas Cretam quoque fuisse et verisimile est et ex Curtii verbis IV, 1, 40 concludi potest. Sed Agis animo non cecidit, multosque milites Graecos, qui ex pugna apud Issum commissa profugi domum redibant (si Curtio IV, 1, 39 credimus, octo milia fuerunt), collegit et per totam Graeciam consilia cum iis communicavit, qui patriam a Macedonibus liberam reddere volebant. Qua in re valde fortuna adjutus est. Primum Alexander, Epirotarum rex, qui a Tarentinis in Italiam vocatus, magnam sibi gloriam comparaverat, a transfuga quodam Lucano interfectus et exercitus a Sabellis deletus est. Post mortem ejus discordiae inter Cleopatram viduam, quae

---

1) *Ἀναξιμένης δὲ ἐν τῇ β' τῶν περὶ Ἀλέξανδρον ἀνέγραψεν αὐτοῦ* (*Ἀλκιμάχου*; cf. Harpocration sub nomine) *δημηγορίαν, πρὸς ἣν ἀντειπεῖν φησὶ Δημοσθένην.*

2) *Ἀλκίμαχον καὶ Ἀντίπατρον Ἀθηναίους καὶ προξένους ἐποιησάμεθα.*

3) Scriptores hist. Alex. magn. pag 286.

erat Alexandri soror, et, Olympiadem, quae mater ejus erat et cupiditate regnandi incensa genero succedere volebat, ortae sunt[1]). His rebus Graecorum animis jam antea ad rebellionem incitatis stimulos magnos admotos esse apparet. Magis etiam id factum est et rebellione Memnonis, Thraciae praefecti, Seuthisque, Odrysorum principis, et clade Zopyrionis, Macedonum ducis, a Getis accepta, de quibus rebus Droysen. pag. 392—395 accurate disseruit; cf. Schaefer. III, pag. 183. Id certe constat exeunte anno tricesimo primo omnes septentrionales gentes, quae Graeciae finitimae erant, sub armis contra Macedones fuisse et Antipatrum summas in angustias adductum esse. Legimus apud Arrianum III, 6, 3, Alexandrum jam vere ineunte anni tricesimi primi Tyri de Peloponnesiaca seditione certiorem factum esse et Amphotero novas centum naves longas ad Peloponnesum defendendam misisse. Qua re efficitur, per annum tricesimum alterum Agidem et in Peloponneso et in reliqua Graecia socios sibi comparasse. Testimonio esse mihi videntur Arriani quoque verba eodem loco III, 6, 2 de Atheniensium legatis posita. Narrat enim, Alexandrum eos magnis honoribus affecisse, eisque cives in pugna ad Granicum commissa captos reddidisse, certe timore commotum, ne cum Agide contra se rebellarent. Hoc autem anno res ad arma nondum venit. Proximo demum, postquam Macedonum auctoritas et potestas in Epiro et Thracia valde infractae sunt, Agis spe incensus et pecuniae inopia pressus, erant enim magnus numerus militum ejus mercenarii, mercede conducti — anno tricesimo primo aut ineunte tricesimo arma cepit; Corragi, Macedonum ducis, manus profligavit, omnes Graecos ad bellum pro libertate suscipiendum provocavit; cf. Diod. XVII, 62. Neque frustra id fecit; et Elei et omnes Arcades praeter Megalopolitanos et Achaei praeter Pellenenses, sine dubio ab Chaerone oppressos, partes ejus secuti sunt; cf. Aeschin. III, 165. Megalopolis, quae a Macedonibus deficere nolebat, obsessa est. Non mirum est, si per alias Graeciae res publicas rebellio primum clandestine manabat[2]). Imprimis certe Athenienses sibi auxilio venturos esse, Agis speraverat. Atque re vera diu Athenis acerrime disputatum est, utrum quieti manerent, an ex patrum more pro totius Graeciae libertate bellum subirent. Testimonia hujus deliberationis apud Droysen. pag. 396 et 397 legis. Postremo boni cives, id, quod ex Plutarchi de re publ. ger. praec. cap. 25 apparet, vicerunt, populusque decrevit, bellum suscipere, Spartiatas classe adjuvare. Sed vel Demadis, hominis Macedonum pecunia corrupti, vel, ut Droysen. pag. 397 ann. 2, suspicatur, metu classis Macedonum commoti, Athenienses Agidi auxilium decretum non miserunt. Interea cum Agis Megalopolim oppugnaret, Antipater ex Thracia approperavit, Agidem devicit, ipsumque interfecit aestate anni tricesimi[3]).

Ad haec tempora haec oratio revocanda est. Si supra recte posuimus, Alcimachum anno tricesimo altero Athenas venisse, quam rem orator § 26 nuper (πρῴην) factam esse commemorat, sequitur, orationem habitam esse anno vel tricesimo altero vel primo, vel si meminimus, quod supra de significatione paulo latiore adverbii „πρῴην“ disputavimus, tricesimo, cum certe in Peloponneso, ut videtur, in Thracia et in Epiro et in media Graecia tumultus turbaeque exorta sunt.

Quid? de omnibus his factis, quae ad rem, quam tractat, dijudicandam summi momenti sunt, orator nihil affert? Mirum sane est. Magis autem homines docti, qui de tempore orationis egerunt, in eo offenderunt, quod ne Thebas quidem dirutas commemorat. Jure Droysen. cum l. c. pag. 388 describeret, quales fuerint his temporibus Graecorum animi, posuit, ex misero Thebarum excidio perpetua in Macedones crimina redundasse. Ex omnibus hujus temporis

1) Cf. Schaefer. III, 1. pag. 180—183, Droysen. pag. 389—391.
2) Cf. Dinarch. I, 34, et de Aetolis Plut. Alex. 49 et de Thessalis et Perrhaebis Aeschin. III, 167.
3) Cf. de tempore Droysen. pag. 398, 4, qui cum Grotio 644, 17 consentit, dissentit Clint. Fast. Hell. pag. 234.

orationibus eum recte judicasse, cognoscimus. Penitus animis Graecorum poena severa hujus urbis olim tam potentissimae infixa erat. Ita Demosthenes in corona § 19 verba ponit: „*οἱ τότε μὲν βαρεῖς νῦν δὲ ἀτυχεῖς Θηβαῖοι*“ et § 40: „*ἐξ ὧν ταῖς παρούσαις συμφοραῖς οἱ ταλαίπωροι (Θηβαῖοι) κέχρηνται*“ et § 41 quae spectant ad Aeschinis verba infra allata: „*οὗτός (Αἰσχίνης) ἐστιν ὁ τὰ Θηβαίων ὀδυρόμενος νῦν πάθη καὶ διεξιὼν ὡς οἰκτρά*“; Aeschines in oratione *κατὰ Κτησιφῶντος* § 156 et 157 „*μηδ' ὑπομιμνήσκετε τῶν ἀνιάτων καὶ ἀνηκέστων κακῶν τοὺς ταλαιπώρους Θηβαίους, οὓς φυγόντας διὰ τοῦτον ὑποδέδεχθε τῇ πόλει, ὧν ἱερὰ καὶ τέκνα καὶ τάφους ἀπώλεσεν ἡ Δημοσθένους δωροδοκία* et paulo post *καὶ νομίσαθ' ὁρᾶν ἁλισκομένην τὴν πόλιν, τειχῶν κατασκαφάς, ἐμπρήσεις οἰκιῶν, ἀγομένας γυναῖκας καὶ παῖδας εἰς δουλείαν, πρεσβύτας ἀνθρώπους, πρεσβύτιδας γυναῖκας ὀψὲ μεταμανθάνοντας τὴν ἐλευθερίαν, κλαίοντας, ἱκετεύοντας ὑμᾶς*“; Dinarchus in oratione *κατὰ Δημοσθένους* § 24: „*διὰ δὲ τοῦτον τὸν προδότην παῖδες καὶ γυναῖκες αἱ Θηβαίων ἐπὶ τὰς σκηνὰς τῶν βαρβάρων διενεμήθησαν, πόλις ἀστυγείτων καὶ σύμμαχος ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνήρπασται, ἀροῦται καὶ σπείρεται τὸ Θηβαίων ἄστυ τῶν κοινωνησάντων ὑμῖν τοῦ πρὸς Φίλιππον πολέμου.* Atque etiam in orationibus privatis hujus temporis Thebarum excidii mentio fit, ita in orationis contra Phormionem Demostheni falso adscriptae paragrapho tricesima octava tempus ita constituitur, ut orator dicat: „*ὅτε μὲν εἰς Θήβας Ἀλέξανδρος παρῄει*“. Tantum in Lycurgi Leocratea fere eodem, atque haec oratio, tempore habita frusta simile aliquid quaeritur; sed versatur tantum orator in temporibus, quae sunt deinceps post pugnam Chaeronensem, ut nulla Thebarum excidii commemorandi occasio oblata sit; Alexander nusquam in ea nominatur. Contra in hac oratione optimus huic mentioni locus fuisset, qua animi ad bellum contra eversorem decernendum maxime adducti essent. Sed tacet orator. Ne id quidem ab eo comperimus, jam diu bellum Persicum exarsisse, Alexandrum in longinquis terris multis et difficillimis rebus distractum esse, id quod idem, ut par est, reliquae hujus temporis orationes non praetermittunt; cf. Aeschin. *κατὰ Κτησιφῶντος* § 165: „*ὁ δὲ Ἀλέξανδρος ἔξω τῆς ἄρκτου καὶ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν πάσης μεθειστήκει*“ et Dinarch. I, 34: „*Ἀλέξανδρος δὲ (ὥς οἱ λέγοντες) ἐν Ἰνδοῖς ἦν.*“ In universum hic orator nomen ipsum Alexandri bis tantum posuit § 4 et 6; Agidis nomen, cujus res agitur, nusquam exstat.

Unde factum est, ut jam scholiastes pag. 354, 3 haec de oratione judicaverit: „*τὸ δὲ ἦθος τοῦ λόγου τὴν παῤῥησίαν οὐκ ἔχει καθαρὰν τὴν Δημοσθενικὴν, οὐδὲ τὴν ἐπίπληξιν ἐκείνην καὶ τὴν ἐλευθερίαν τὴν ἐλεγκτικήν· ὅλον δὲ τὸ εἶδος τοῦ λόγου σχεδὸν ὑπὸ κάλυμμά τι κεῖται, πολὺ τῆς Δημοσθένους παῤῥησίας ἀποδέον· παῤῥησιάζεται γὰρ καὶ οὐ παῤῥησιάζεται καὶ παρακαλεῖ πρὸς πόλεμον καὶ δέδοικε τὸν περὶ τούτου λόγον, καὶ μέσον φόβου καὶ θάρσους.*“ Blassius de re ipsa cum scholiasta consentit, nisi quod censet, oratorem hac cautione non consulto usum esse, sed speciem ejus effici inepto et incondito oratoris modo dicendi. Weilius et Spengel. l. c. II. pag. 315 hanc cautionem non senserunt, immo vero hic summam oratoris libertatem dicendi laudavit, ut mihi quidem videtur, nullo jure. Quae deinde scholiasta, ut oratorem excusaret, addidit, accuratius refutari non opus est, cum demonstraverimus, orationem non primis Alexandri temporibus, sed iis habitam esse, cum ille procul aberat, Macedonum auctoritas in Graecia valde infracta erat. Tamen memorabilis comparatio videtur, quam scholiasta inter hanc orationem et Philippicam tertiam Demosthenis instituit. In utraque quaeritur, utrum pax servanda sit, id quod Macedonum satellites volunt, an bellum gerendum. Quam diverse autem Demosthenes quaestionem tractaverit, jam ex argumenti descriptione, quam apud Blassium III, 330—337 legis, dilucide apparet. Prima enim parte § 8—21 demonstrat, Philippum jam dudum pace rupta bellum gerere (justum), altera § 21—52 non exspectandum esse, dum ille aggrediatur, sed antea bellum inferendum esse (utile), tertia § 52—75 quid eos

facere velit, ut res meliores fiant (possibile). Ita Demosthenes rem simillimam tractat, aliter hic orator. Nihil, nisi justum bellum esse, cum Alexander foedus antea ruperit, civibus probat; idem utile esse, strictim tantum § 2, 9, 30 commemorat; semel § 25 addit quoque, eos bellum magna cum fiducia suscipere posse (possibile). Deinde jam Schaeferus pag. 190, accuratius etiam Weilius pag. 462 exposuerunt, omnia argumenta, quibus uteretur orator, ut foedus ruptum demonstraret, infirma esse et quae facile refelli possent. Duae enim tantum res, quas posteriore loco Macedonibus orator crimini dat, ad Athenienses ipsos pertinent, et in utraque illi his minantibus et resistentibus cesserant. Quod ad reliquas attinet, prima nullo modo foedus violatum erat, nam recte Weilius pag. 469, ann. 9 dicit, Neonem et Thrasylochum antea tyrannos fuisse, deinde Philippo mortuo expulsos, ab Alexandro tantum reductos esse. Ipse orator hoc jure sibi opponi posse praevidit, itaque hoc crimen altero obvolvebat, cum adderet, Alexandrum secum pugnare, qui hic tyrannos reduceret, illinc expelleret. Jam supra demonstravimus, has res specie tantum, non revera secum pugnare. Non melius id argumentum se habet, quod ex rebus petit, quae Sicyone gestae sunt; suis enim verbis profitetur, Alexandrum foederis legibus non violatis, auctoritate tantum, non armis effecisse, ut in multis Graeciae urbibus tyranni rebus publicis praeessent. In universum recte Weilius dixit, ex ipsa oratione res promi posse, quibus oratoris argumenta refellerentur. Tertia denique res Pellenae gesta, de qua Weilius judicium non facit, si Athenaei locum supra allatum comparamus, ita ab oratore narrata est, ut tyranni facinora Alexandro ipsi ascriberet; Pausanias VII, 27, 7 affert, illum ab Alexandro tyrannidem accepisse, quod utrum vi, an voluntate Pellenensium factum sit, non intellegitur. Quae cum ita sint, id denuo cognoscitur quod neminem, qui sine ira et studio in rebus hujus temporis versatur, licet absit a Droyseni summo erga Macedones favore, fugere potest, multum interesse inter statum rerum Graecarum, qualis Philippi et qualis Alexandri temporibus fuerit. Ille multis et variis injuriis Graecos affecit, ut princeps imperator totius Graeciae fieret, hic princeps factus non solum prioribus temporibus, Thebarum excidio excepto, sed etiam postea magis per bonam gratiam et conditionibus quam per vim et armis eos sibi conciliare studuit. Testimonia hujus rei per totum ejus regnum plurima sunt. At dixerit quispiam, non majora crimina praesto fuisse, oratorem igitur facere non potuisse, quin haec infirma argumenta proferret. Audio, sed contra quaero, quid sibi proposuerit? Cives ad bellum contra Macedones suscipiendum commovere vult. Putasne vero, re vera ita rem institui a viro rerum civilium perito vel ab oratore in talibus rebus agendis exercitato, ut vix et aegre crimina quaedam magis ficta quam vera investiget, quibus demonstret, ab hoste foedus violatum, bellum igitur suscipiendum esse? An magis necessarium tibi videtur, populo id probari, tempus adesse, quo jugum cervicibus impositum depellere possint, neque jure id vetari, cum foedus antea ab hostibus violatum sit? Atque Schaeferus et Weilius bene senserunt, quantopere hac quoque ex parte oratio claudicet. Neque enim id excusandi causa dici potest, fuisse hoc tempore Athenis multos et potentes viros, qui a Macedonum partibus starent, semperque negarent foedus violatum esse. Quos ut confutaret, oratorem tali modo rem tractasse. Nam etiam Demosthenis et ceterorum oratorum, qui tum erant, temporibus, hi florebant amici, neque ulla oratio exstat, in qua ei non impugnentur; in nulla autem orator in his increpandis ita inhaerescit, ut argumenta tam infirma attulerit, firma, quae praesto erant, neglexerit. Vidimus hunc oratorem utile, quod Aristoteles in art. rhet. I, 3[1]) proprium suasoriae esse vult, vix attigisse, justum non demonstrasse, possi-

1) *Τῷ μὲν συμβουλεύοντι τὸ συμφέρον καὶ βλαβερὸν τέλος ἐστίν.*

bile semel tantum commemorasse. Itaque Blassius quoque pag. 124 judicat, oratorem rei, quam sibi proposuerit, ut bellum contra Alexandrum moveret, nullo modo parem esse, et paulo post hominem non maximi ingenii dicit. Equidem vix mihi persuadere possum, oratorem vel minimae indolis, qui in ipsis hujus temporis rebus verbabatur, ita argumentatum esse, ut summa et firmissima et proxima argumenta, Thebarum excidium, Alexandri longinquam absentiam, Agidis rebellionem praetermitteret. Ita oratio mirum in modum cum temporum conditione discrepat, quibus, si res, quas ipse orator affert, accuratius consideramus, eam habitam esse censemus.

Caput quartum.

Accedunt aliae res, quae suspicionem movent. Jam scholiasta perspexit, multum interesse inter hanc orationem et alias contiones, cum diceret: *„ἐπάγουσι δὲ ὅτι τοῦ πολιτικοῦ λόγου καὶ γοργότης καὶ τραχύτης καὶ τὰ τμητικά, ἐν τούτῳ δὲ πολὺ τὸ ἀναβεβλημένον.“* Atque, ut supra vidimus, exposuit, totam orationem velut velamine obductam esse. Neque ratio eum fefellit. Ex iis, quae supra de dispositione et elocutione et temporum conditione demonstravimus, manifestum est, verba tam infinite ab oratore posita esse, orationemque tam certo quodam colore carere, ut jure dubitemus, utrum sit suasoria re vera ad populum habita, an falsa et ab rhetore ficta. Eadem de causa et Schaeferus et Blassius duas contra Aristogitonem orationes Demostheni abjudicaverunt, falsario attribuerunt [1]). Altera ex parte cum hac verecundia, qua auctor in dicendo utitur, maxime multa et efficacia et nervosa verba et structurae pugnant, quae supra attulimus. Qua re altera discrepantia exstat.

Item tota oratio, ut supra exposuimus, anxie ex scholae regulis disposita est.

Quid? Verborum paene puerilis inopia, quam supra reprehendimus, nonne irritam rhetoris diligentiam indicat?

Sed imprimis quattuor illa epichiremata, quae plane eodem modo formata, id, quod supra demonstravimus, deinceps sese excipiunt, ad scholam potius quam ad rostra nos vocamus [2]). Quintilianus V, 14, 32 expressis verbis testatur, talia enthymemata — dicere videtur de propositione ac conclusione ex consequentibus et repugnantibus, cf. Halmium ad hunc locum, qui corruptus est — saepius ab Graecis temporis sui, qui perverse magnos oratores imitarentur, efficta atque inter se connexa esse [3]). In hac oratione nonnullis locis ipsa indicia inveniuntur, quae prae se ferunt, quantopere auctor operam dederit, ne argumentatio ex ullis dialecticae artis praeceptis in controversiam vocari possit. Ita verba § 11: *„ἡμεῖς δὲ τῆς εἰρήνης μετέχομεν τῆς προσταττούσης πολεμίους ἡγεῖσθαι τοὺς ταῦτα πράττοντας“*, ei, qui contionatur, superflua atque inepta, ei, qui stricte argumentatur, necessaria sunt. Eidem studio attribuerim verba coacta § 17: *„ὅτι εἰσὶν αἱ Μακεδονικαί* (pro *οἱ Μακεδόνες*);“ accurate voluit orator haec verba respondere verbis complexionis: *„ἔκσπονδοι ἡμῖν εἰσὶν αὗται αἱ πόλεις αἱ ταῦτα διαπεπραγμέναι“*. Contra alii in oratione loci leguntur, qui cum ipsis dialecticae artis hic tam stricte observatis regulis pugnant. Ita Blass. jure disjunctionem in prooemis § 2 reprehendit: *„ἵν' ἢ ἑκόντες ἀδικούμενοι ἀνέχησθε καὶ αὐτὸ τοῦτο χαρίζησθε τῷ ἀδικοῦντι ἢ προελόμενοι περὶ πλείστου ποιήσασθαι τὸ δίκαιον ἀνεγκλήτως πρὸς ἅπαντας χρῆσθε τῷ συμφέροντι.“* Nam examine (*ἐξετασμός*),

1) Cf. Blass. III, 1 pag. 361 et A. Schaefer III, 2, 123.

2) Cf. Volkmann. l. c. pag. 155, Quintilian. V, 14, 27.

3) Quintilian V, 14, 32: „Quae (enthymemata) adprensa Graeci magis in catenas ligant et inexplicabili serie conectunt et indubitata colligunt et probant confessa et se antiquis per hoc similes vocant, deinde interrogati numquam respondebunt, quem imitentur.“

quod amicos Macedonum subire auctor vult, demonstrandum est, utra factio juste agat, sed disjunctio, quae sequitur, alia est. Magis etiam id cadit in verba § 16: „καὶ τοσούτῳ νῦν μᾶλλον, ἢ πρότερον, ὅσῳ ἐκ προστάγματος ἄλλους τε ἑτέρωθι καὶ τὸν παιδοτρίβην εἰς Σικυῶνα κατήγαγεν“ quae cum eis, quae antecedunt, ita pugnant, ut orator sibi ipse contradicat. De verbis obscuris et difficilibus ad explicandum § 14 et 30 supra accuratius disputatum est. Etiam verba § 25: „ἄλλως τε καὶ πεπαυμένων ὑπὸ τῆς τύχης τῶν δορυφορουμένων ὑπὸ τῶν τυραννικῶν στρατοπέδων“ et quae sequuntur, non accurate et perspicue expressa sunt. Spectare tantum possunt ad Macedonum satellites in aliis urbibus non Athenis oppressos. Referenda igitur sunt ad verba item infinite posita, quae antecedunt: „ἔστι προβολὰς ἑτέρας ἰσχυροτέρας εὑρέσθαι.“ Quod ut bene fiat, certe additamento: „ἐν πολλαῖς ἄλλαις πόλεσιν“ vel simili opus est. Atque id eo magis desideramus, cum orator supra eisdem verbis § 12: „δορυφορούμενοι τοῖς τοῦ τυράννου στρατοπέδοις“ Macedonum amicos, qui Athenis erant, significavit. Voemelius hac obscuritate ductus verba ad Athenienses proditores revocasse videtur, sed ne incredibili modo auctorem sibi ipsum contradicentem faciat, conditionaliter vertit: „praesertim si fortuna depresserit“. Recte Weilius ad hunc locum annotat, hanc translationem ferendam non esse, quamquam ipse non perspexisse videtur, verba tantum, si ad ea, quae antecedunt: „προβολὰς ἑτέρας ἰσχυροτέρας“ referantur, explicari posse. Certe hic quoque locus obscurus est. Adde verba § 24: „καὶ ἅμα μικρὰ μὲν τὰ ὑμέτερα ποιοῦσι, τὰ δὲ τῶν ἐχθρῶν ἰσχυρά“ et quae sequuntur, de quibus recte Weilius judicat: „L'argumentation est extrêment subtile; mais elle n'est pas même spécieuse“; et spero te mecum consensurum esse, hic quoque exstare miram discrepantiam, quae non tam oratori, quam rhetori tribuenda sit.

Ita id quoque explicatur, quo modo factum sit, ut auctor inhaereat in foederis verbis. Figurate dicere vult, cf. de figuratis orationibus et Dion Halic. art. rhet. cap. 8 et proxx et Volkmann. l. c. pag. 79. Idem Weilius sensisse videtur, cum diceret: „Il est vrai que l'orateur se pose en défenseur des traités: loin de demander qu'on les viole, il dit au contraire que c'est au nom des traités qu'il faut faire la guerre aux Macédoniens.“ Atque recte jam scholiasta demonstravit, per totam orationem schema, quod rhetorici vocant „ἐναντίον“ usurpatum esse. Dionys. l. c. hoc schema ita explicat: „τὸ, οἷς λέγει, τὰ ἐναντία πραχθῆναι πραγματευόμενον“. Sed quomodo hoc auctor usurpavit? Nil, nisi semper eodem modo argumentatur, rursus rursusque paene in taedium easdem formulas: „ἐν ταῖς κοιναῖς ὁμολογίαις ἐμμένειν“ similesque repetit, in ipso epilogo jus belli suscipiendi a pacti verbis petit, non, id quod orator certe fecisset, ex rebus, quae ad bellum contra absentem Alexandrum suscipiendum idoneae erant. Tam anxie et sine ulla arte ex schemate res proposita tractata est. Talem autem ductum figuratum saepissime in rhetorum scholis tractatum et varias ex schematis figuratas orationes compositas esse et per se liquet et Volkmanni l. c. pag. 78 verbis confirmatur.

Jam nova discrepantia exstat. Loci, quibus in patriae obtrectatores invehitur, tantopere a ceteris differunt, ut paene Demosthenicum colorem habeant. Leguntur I § 9 (ubi utilitatis mentio fit); II § 12 et 13 (inveniuntur et verba efficacia: ὡς καὶ ἐπιορκίας αὐτοκράτορος ὄντος ἐκείνου et solus, quem habet oratio, locus communis: τοῖς γὰρ πεπρακόσιν ἑαυτοὺς εἰς τὰ τῇ πατρίδι συμφέροντα); III § 18; IV § 21—25 (aliquid comperimus de facultate rem efficiendi); V § 29. Hinc loci fortasse ex Demosthenis orationibus deprompti sunt? Inveniunturne loci transscripti, quales sunt in aliis ab rhetoribus fictis orationibus? Postquam orationes vere Demosthenicas attente perlegimus, paulo ampliores verbotenus translatos locos afferre non possumus, sed similes, qui retractati et imitatione expressi esse videantur, non tam pauci exstant. Fere idem est numerus,

atque in duabus contra Aristogitonem orationibus; compara locos decem et septem, quos Schaeferus III, 2 pag. 122 ann. 2 annotat cum his, quae sequuntur.

I) § 9 „*νυνὶ δὲ ὅτ' εἰς ταὐτὸν τὸ δίκαιον ἅμα καὶ ὁ καιρὸς καὶ τὸ συμφέρον συνδεδράμηκεν, ἄλλον ἄρα τινὰ χρόνον ἀναμενεῖτε τῆς ἰδίας ἐλευθερίας ἅμα καὶ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἀντιλαβέσθαι,*“ cf. Demosth. I, 9: „*νυνὶ δὲ καιρὸς ἥκει τις, ὃς οὐδενὸς ἐστιν ἐλάττων τῶν πρότερον ἐκείνων*“ et paulo post § 20: „*ἕως ἐστὶ καιρὸς ἀντιλαβέσθαι τῶν πραγμάτων*“; adde III, 16 *τίνα γὰρ χρόνον ἢ τίνα καιρὸν τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε*“;

II) § 12 et 13 „*τοῖς γὰρ πεπρακόσιν ἑαυτοὺς εἰς τἀναντία τοῖς τῇ πατρίδι συμφέρουσιν*“; cf. Hegesippi de Halon. orationem (VII) § 17 quae sine dubio tum jam inter Demosthenicas orationes erat; idem ex suppositicia XI apparet, in qua rhetor, cum putaret illam esse Demosthenicam, ex eadem verba prompta usurpat, cf. Blass. III, 1, 347, Schaefer. III, 2, 108, Weil. ad hunc locum; haec sunt § 17 verba: „*οἱ οὐκ αἰσχύνονται Φιλίππῳ ζῶντες καὶ οὐ τῇ ἑαυτῶν πατρίδι καὶ τὰς παρ' ἐκείνου δωρεὰς λαμβάνοντες οἴονται οἴκαδε λαμβάνειν τὰ οἴκοι πωλοῦντες*“; repetuntur verba in pseudodemosthenica XI, 18; similia leguntur XVIII, 46 et XIX, 102 et 116. Pergit auctor in hac oratione: „*τοῖς δ' ὀνόμασι μόνον αὐτῶν ἀποχρώμενοι παρακρούονται τοὺς παρέργως ἐνταυθὶ ἀλλ' οὐκ ἐξεταστικῶς ἐκκλησιάζοντας καὶ νομίζοντας τὴν παραυτίκα ἡσυχίαν οὐκ ἔσεσθαι ποτ' αἰτίαν ταραχῆς ἀτόπου*“; cf. apud Demosthenem V, 25: „*τὴν ἀπὸ τῆς εἰρήνης ἡσυχίαν πλειόνων ἀγαθῶν αἰτίαν εἶναι νομίζοντες*“ et XIX, 88: „*εἰ γὰρ ἡ τοῖς ἄλλοις ἀγαθῶν αἰτία τοσούτων πραγμάτων καὶ ταραχῆς ἡμῖν αἰτία γέγονε.*“

III) § 18 *διὰ τί γὰρ οὐ φήσουσιν οὗτοι δεῖν ταῦθ' οὕτως ἔχειν; ἢ ὁμολογίαν τὴν μὲν κατὰ τῆς πόλεως οὖσαν βεβαίαν ἀξιοῦσιν εἶναι, τὴν δὲ σῴζουσαν οὐ συγχωρήσουσιν; ἆρά γε δοκεῖ δίκαιον ταῦτα γίγνεσθαι; κἂν μέν τι ᾖ πρὸς τῶν ἐχθρῶν κατὰ τῆς πόλεως ἐν τοῖς ὅρκοις, τοῦτο μὲν ἰσχυρὸν ἀεὶ ποιήσουσιν ἐὰν δέ τι ἡμέτερον ᾖ κατ' ἐκείνων ἅμα δίκαιον καὶ συμφέρον, πρὸς τοῦτο δὲ μαχομένοις οὐδέποτε παύσασθαι οἰήσονται δεῖν ἑαυτούς.* Sententia plane eadem est ac Demosthenis XV, 25 *εἰσὶ δέ τινες, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παρ' ὑμῖν δεινότατοι τὰ δίκαια λέγειν ὑπὲρ τῶν ἄλλων πρὸς ὑμᾶς, οἷς παραινέσαιμ' ἂν ἔγωγε τοσοῦτον μόνον, ὑπὲρ ὑμῶν πρὸς τοὺς ἄλλους ζητεῖν τὰ δίκαια λέγειν, ἵν' αὐτοὶ τὰ προσήκοντα πρῶτοι φαίνωνται ποιοῦντες· ὡς ἔστιν ἄτοπον περὶ τῶν δικαίων ὑμᾶς διδάσκειν, αὐτὸν οὐ δίκαια ποιοῦντα· οὐ γάρ ἐστι δίκαιον, ὄντα πολίτην, τοὺς καθ' ὑμῶν λόγους, ἀλλὰ μὴ τοὺς ὑπὲρ ὑμῶν ἐσκέφθαι.* Deinceps in paragrapho proxima Demosthenes verba ponit, quae rursus rursusque in hac, quam tractamus, oratione repetuntur *παρὰ τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας.* Fortasse verba quoque annotanda et conferenda sunt, quae paulo post § 31 ejusdem orationis leguntur „*οἱ τἀναντία τῇ πόλει παρ' ὑμῖν πράττειν προῃρημένοι*“ cum hujus orationis § 15 „*πεπρακόσιν ἑαυτοὺς εἰς τἀναντία τοῖς τῇ πατρίδι συμφέρουσιν.*“ Utroque loco agitur de Macedonum amicis.

IV) § 21—25. Prima extemplo verba „*πῶς οὖν οὐκ ἄτοπον*“ leguntur apud Demosthenem XIX § 71, ubi additum est „*καὶ ὑπερφυές*“. Ea, quae sequuntur „*οἱ μὲν ἄλλοι Ἕλληνες καὶ βάρβαροι ἅπαντες τὴν πρὸς ὑμᾶς ἔχθραν φοβοῦνται*“ prope accedunt ad Demosthenis VIII, 67 verba: *ὁ μὲν εὐδαίμων καὶ μέγας καὶ φοβερὸς πᾶσι Ἕλλησι καὶ βαρβάροις.* Jam pergit auctor *οὗτοι δὲ νεόπλουτοι* (significat Macedonum satellites). Supra exposuimus, hoc vocabulum apud Demosthenem non exstare, sententiam compluribus locis exprimi: III, 29: „*οἱ μὲν ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γίγνονται*“; VIII, 66: „*καὶ γάρτοι τούτων μὲν ἐκ πτωχῶν ἔνιοι ταχὺ πλούσιοι γίγνονται*“; XXIV, 124: „*οὐκ ἀγαπῶσιν ἐκ πενήτων πλούσιοι ἀπὸ τῆς πόλεως γιγνόμενοι*“; saepius in prooemiis, exempli causa in quinquagesimo tertio: „*ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γεγόνασιν*“. In verbis

efficacibus paulo post positis: „ὥσπερ ἐν Ἀβδηρίταις ἢ Μαρωνείταις ἀλλ' οὐκ ἐν Ἀθηναίοις πολιτευόμενοι" auctor Demosthenem imitatus esse videtur. Similia enim XIX, 72 legis: „ὥσπερ ἐν ἄλλοις τισὶ κρινόμενον καὶ οὐκ ἐν ὑμῖν τοῖς ἅπαντ' εἰδόσιν" et in suppositicia XIII, 34: „εἰ μὲν οὖν Σιφνίοις ἢ Κυδνίοις ἢ τισιν ἄλλοις τοιούτοις οὖσι συνῄδειν ἡμῖν — — ἐπειδὴ δ' ἔστ', Ἀθηναῖοι" et quae sequuntur et IX, 74: „εἰδ'οἴεσθε Χαλκιδέας τὴν Ἑλλάδα σώσειν ἢ Μεγαρέας, ὑμεῖς δ' ἀποδράσεσθαι τὰ πράγματα." — — Fortasse auctor sententiam apud Demosthenem legit, cui ex rhetoris genere dicendi hanc quaesitam formam dedit, cum nomen Abderitarum substitueret, gentis, quae propter summam stultitiam Graecorum risum movebat,[1]) addidit Maronitas, quorum urbs et eadem in Thraciae ora sita et vini praestantia nobilitata erat.

V) § 29 verba „οὕτω ἐκεῖνοι τῇ πόλει χρῶνται διὰ τοὺς ἐντεῦθεν διδασκάλους" referenda esse videntur ad Hegesippi VII, 23 „ὑπὸ τῶν ἐνθάδε διδασκάλων προδεδιδαγμένος." Hi sunt loci, quibus auctor orationis Macedonum satellites petit. In omnibus color vere Demosthenicus inest, in multis verba ipsa Demosthenis repetita esse videntur, ut in his nucleum, ex Blassii verbis, Demosthenicum positum esse putemus, qui in omnibus suppositiciis et X et XI et XIII et XXV et in aliis inest. In orationis partibus reliquis tales loci rariores sunt. In epichirematis, quae sunt maxime propria rhetoris, plane desiderantur. Verba exempli § 3 „πεισθέντας γε δουλεύειν ἀντὶ τῶν ἀργυρωνήτων" proxime ad Isocratis XIV, 18 verba: „οὐδὲν ἧττον τῶν ἀργυρωνήτων δουλεύουσιν" accedere jam supra diximus. In prooemio posita sunt verba: προελόμενοι περὶ πλείστου ποιήσασθαι τὸ δίκαιον; cf. similia in prooemio XIX: „μήτ' ἄνδρα ποιεῖσθαι περὶ πλείονος ἢ τὸ δίκαιον; paulo ante ὅτ' ἐκληροῦσθε ἐνοχλοῦντας καὶ προσιόντας"; in hoc prooemio: „μὴ τῷ μὲν λόγῳ καταχρωμένους ἐνοχλεῖν." Item una, quae exstat apta transitionis formula § 19: „ἵνα δ'εἰδῆτε ἔτι σαφέστερον, ὅτι οὐδεὶς ὑμῖν ἐγκαλέσει ποτὲ τῶν Ἑλλήνων, ὡς ἄρα παρέβητέ τι τῶν κοινῇ ὁμολογηθέντων, ἀλλὰ καὶ χάριν ἕξουσιν, ὅτι μόνοι ἐξηλέγξατε τοὺς ταῦτα ποιοῦντας, μικρὰ ἐπιδραμοῦμαι περὶ αὐτῶν πολλῶν ὄντων" plane eodem modo formata est atque ea, quam Demosthenes XIX, 192 usurpat: „ἵνα τοίνυν εἰδῆτε, ὅτι οὐ μόνον τῶν δημοσίᾳ πώποτ' ἐληλυθότων ὡς Φίλιππον ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἰδίᾳ καὶ πάντων οὗτοι φαυλότατιο καὶ πονηρότατοι γεγόνασι, μικρὸν ἀκούσατέ μου ἔξω τι τῆς πρεσβείας ταύτης."

Postremi epilogi verba: „ἀλλὰ μηδ' ἀναμνησθῆναι μηδεμίας φιλοτιμίας τῶν ἐξ ἀρχαιοτάτου καὶ πλείστων καὶ μάλιστα πάντων ἀνθρώπων ἡμῖν ὑπαρχουσῶν" ampliora tantum apud Demosthenem XIX, 311 leguntur: ὅς, ὦ γῆ καὶ θεοί, ἐκεῖνα ἃ διεξῆλθον ἐν ἀρχῇ δεδημηγορηκώς, τὸν Μαραθῶνα, τὴν Σαλαμῖνα, τὰς μάχας, τὰ τρόπαια, ἐξαίφνης, ὡς ἐπέβη Μακεδονίας, πάντα τἀναντία τούτοις, μὴ προγόνων μεμνῆσθαι et quae sequuntur; cf. IX, 74 quoque.

Quae reliqua sunt, neque exemplum Pisistratidarum mire in capite totius quaestionis positum saepissimeque in rhetorum scholis tractatum, neque quinque orationis partes, quarum quattuor epichiremata jam rhetori tribuimus, quinta propter gradationem nimis extentam § 27 atque contradictionem sibi ipsi factam § 28, qua rhetor fortasse doctrinam prae se laturus erat, non melius se habet, mediocris rhetoris artem superant.

Ut singula, quae effecimus, colligamus, demonstrasse mihi videor, neque Demosthenem neque aequalem, cujus quidem opera exstant, auctorem orationis esse; statuimus eam non in primordiis Alexandri sed in temporibus post Thebas dirutas, cum Alexander jam diu in Asia versabatur, tota fere Graecia, Agide auctore, commovebatur; exposuimus temporum, qualia tum

1) Cf. ridiculas res, quas Lucianus in primo capite libri de historia conscribenda de iis tradit; unde Ciceronis in epistula VII, 7 ad Atticum Ἀβδηριτικόν ortum esse videtur.

essent, nullam rationem habitam esse, contra res infirmissimas et remotissimas argumenti loco usurpatas, firmissimas et proximas neglectas esse, in universum pro suasoria multo infinitiorem eam esse; repperimus, aliis locis Demosthenis verba tam similia esse, ut transscripta et retractata esse videantur, aliis ab ejus modo dicendi diversissima esse, quaesita et rara vocabula non pauca legi, inopiam verborum summam esse, singula efficacia verba cum languido et cauto orationis tenore pugnare, eundem igitur per totam orationem colorem non exstare; perspeximus, et dispositionem et tractationem ex schemate et epichiremata magis ex dialecticis et scholae, quam ex rhetoricis et oratoris praeceptis formata esse. Quibus universis argumentis, quamquam singulis res decerni non potest, ad falsarium deducimur. Priusquam autem ad finem perveniamus, duae res nobis explicandae sunt. Quid primum de factis ab oratore allatis, quae satis probabilia videntur, judicamus? Unde ab rhetore prompta sunt? Deinde, quomodo oratio inter Demosthenicas recepta est? Quod ad primam difficultatem attinet, nihil obstat, quominus in oratione a rhetore ficta res vere factae memoriae proditae sint. In memoriam revoco Philippi epistulam, quam probabilibus factis abundantem Schaeferus suppositiciam indicavit, cf. l. c. III, pag. 113; Blassius genuinam esse defendit. Eodem modo et Schaeferus III, 2 pag. 110 et Blassius III, 1 pag. 347 falsarium orationis contra Philippi epistulam habitae commentariis historicis usum esse judicaverunt. Idem de Aeschinis epistolis undecima et duodecima dicendum est, cf. Blassius III, pag. 160 ann. 7. Neque aliter res in hac oratione se habet. Dubium non est, quin et Theopompus in „Philippicis“ [1]) et Philochorus [2]) verba hujus foederis magni momenti a Graecis cum Philippo Corinthi facti, cum Alexandro renovati, memoriae tradiderint. Falsarius singulas foederis conditiones ex his libris prompsit et facta adjecit, quae maxime ipsis foederis verbis repugnare ei videbantur. Singulas autem res non ponderavit neque reputavit, utrum vim haberent necne: qui factum est, ut mentionem Thebarum dirutarum, belli Persici, Agidis rebellionis desideremus. Mortuus est Philochorus anno ducentesimo sexagesimo altero vel primo. Cum falsarius neque hiatum evitaverit, neque legem rhythmicam observaverit, et Hegesippi oratio jam inter Demosthenicas fuerit, conjectamus eum aliquanto post Demosthenis mortem orationem composuisse; cf. Blass. III, 1 pag. 348. Praesto igitur ei certe sex primi libri Atthidis erant, qui res usque ad annum trecentesimum undevicesimum continebant et prius quam reliqui a Philochoro editi erant; cf. Boeckh. l. c. pag. 20. Facilius etiam probare possumus, quomodo Demosthenicarum orationum numero inserta sit, si legimus, quae Sauppius [3]) et Rehdantzius [4]) de indice oratorum ab Callimacho Alexandrino facto disputant. Veri simillimum erat, Demosthenem his temporibus de his rebus verba fecisse; similia testatur Aeschines *κατὰ Κτησιφῶντος* § 166 et Plutarch. Dem. 24. Atque re vera optime haec oratio quadrabat in magnam decem annorum lacunam, quae est inter orationem de corona tricesimo tertio anno habitam et alias, quae antecedunt contiones; cf. Blass. III, 1 pag. 52 et proxx. Accedunt loci illi, qui colorem Demosthenicum habent et verba epilogi § 30 „*ὡς τοῦθ' ἡλικίας ἔχων*“, quae ille ad clarissimum oratorem rettulit, quamquam tum demum quinquaginta duos annos habebat. Recentiores imprimis temporum obscuritate, quominus de falsario cogitent, impediti sunt.

---

1) Cf. Boehnecke l. c. pag. 739.

2) In Atthidis libro sexto cf. Boeckh. de Philochori Atthidis descriptione pag. 20 in comm. acad. Berolin. anni 1832.

3) Epistola critica ad Godof. Hermannum pag. 49.

4) Apud Schaeferum III, 2, pag. 317 et proxx.